

DA
CCIÓ

92

BC60

T6

004492



1080014449



EX LIBRIS

HEMETHERII VALVERDE TELLEZ

Episcopi Leonensis

UANL

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN



DIRECCION GENERAL DE BIBLIOTECAS

LOGICAE COMPENDIUM

—JUKTA—

Doctrinam S. Thomae Aquinatis

Auctore B. C. Roux Lavergne,

*In gratiam sui Seminarii
ab Episcopo Leonensi multis annota-
tionibus et additionibus
locupletatum*

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN
Biblioteca Valverde y Teller




Capilla Alfonsina
LEONEN. Biblioteca Universitaria

Ex Typographia Apud Zenonem Izquierdo.

41665

BCGO

TG



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

PROLOGUS ANNOTATORIS.

Angelici Doctoris nomen pro omni scientifica laude ad commendationem hujus operis sufficit. Quis enim est, in tota litteraria republica adeo in scientiis hospes, ut hujus nominis laudationem ignoret? Quis est, qui nesciat, ipsum esse lumen per quod omnes qui viam disciplinarum ingrediuntur vident, ut Academia parisiensis olim agebat ipsum esse Academiarum omnium communem magistrum, Ecclesiae Universalis Doctorem insignem, Incarnatae Sapientiae ore collaudatum, quam sequendo nunquam a veritatis tramite deviamur, Sede Apostolica teste? Nos itaque, tanto Magistro duce, juventutem Seminarii nostri Leonensis erudire conati, ejus melioris notae interpretes consulere, et in annotationibus legitimam ipsius scholae doctrinam exponere, operam omni studio navavimus: additis axiomatibus praecipuis in philosophica scientia, ut in operis fine apparebit.

En ergo, adolescentes dilectissimi, quae pro vestra litteraria eruditione, non minimo quidem sed jucundissimo labore compendio-

004492

PROLOGUS.

se vobis afferre, pro nostra erga vos propensissima voluntate, decrevimus. [Faxit Deus Optimus Max. ut ex hocce veritatis fonte aliqualem saltem pro Christi Ecclesia, pro religione et patria utilitatem tandem aliquando redundare auspicemur!



Compendium Philosophiae

—JUXTA DOCTRINAM—

Sancti Thomae Aquinatis.

PROLEGOMENA.

1.^o De nomine philosophiae; 2.^o de sapientia, seu scientia, et subsequenter de causis; 3.^o de differentia philosophiam inter et theologiam; 4.^o de definitione philosophiae; 5.^o de ejus partibus; 6.^o de ordine secundum quem distribuuntur; 7.^o de modis sciendi.

1. Nomen philosophiae sumitur a *philosopho*, quod idem sonat ac amicus sapientiae. Pythagoras primus se philosophum dixit, profitens Deos solos esse sapientes, et hoc tantum hominibus convenire, quod sapientiam ament et colant. Inde *philosophia*, id est amor sapientiae (1.)

2. Ille sapiens est, ut sanctus Thomas docet, qui res directe ordinat et bene gubernat, quod fit per considerationem causarum altissimarum. (2.)

PROLOGUS.

se vobis afferre, pro nostra erga vos propensissima voluntate, decrevimus. [Faxit Deus Optimus Max. ut ex hocce veritatis fonte aliqualem saltem pro Christi Ecclesia, pro religione et patria utilitatem tandem aliquando redundare auspicemur!



Compendium Philosophiae

—JUXTA DOCTRINAM—

Sancti Thomae Aquinatis.

PROLEGOMENA.

1.^o De nomine philosophiae; 2.^o de sapientia, seu scientia, et subsequenter de causis; 3.^o de differentia philosophiam inter et theologiam; 4.^o de definitione philosophiae; 5.^o de ejus partibus; 6.^o de ordine secundum quem distribuuntur; 7.^o de modis sciendi.

1. Nomen philosophiae sumitur a *philosopho*, quod idem sonat ac amicus sapientiae. Pythagoras primus se philosophum dixit, profitens Deos solos esse sapientes, et hoc tantum hominibus convenire, quod sapientiam ament et colant. Inde *philosophia*, id est amor sapientiae (1.)

2. Ille sapiens est, ut sanctus Thomas docet, qui res directe ordinat et bene gubernat, quod fit per considerationem causarum altissimarum. (2.)

Causa in genere illud est virtute seu ope cujus effectus producit; quae quidem quadruplici modo effectus suos continet: virtualiter, ut ignis calorem; formaliter, ut architectus domum quam aedificat; potentialiter, ut materia quaeque formas quas induere potest; eminenter, ut Deus creaturas, quae nihil aliud sunt quam modi secundum quos essentiam ejus imitare valet ens omne contingens, scilicet ens natura sua mere possibile, et de se indifferens ad existentiam et non existentiam, quod opponitur Enti necessario.

Causa quadruplex est et dividitur in efficientem, quae omnibus aliis praecellit in productione effectus; formalem, scilicet exemplar quo efficiens in operando utitur; materialem seu physicam, id est materia in qua effectus recipitur; finalem, quae est finis ab efficiente intentus. (3.)

Quum igitur, ut patet, ad perfectam cujuslibet rei cognitionem nihil desideratur, dummodo ejus efficiens, exemplar, materia et finis innotescant, ideo sapientia dicitur cognitio rerum per causas altissimas, et scientia definitur in genere: Cognitio rerum per causas. (4.)

Cognitio, doctrina, disciplina, scientia in quibusdam differunt et in quibusdam conveniunt. (5.) Cognitio (6.) est notitia quae-

libet ex uno quocumque de triplici totius cognitionis fonte deprompta, ratione scilicet, experientia et fide; quae quidem inferius in Psychologia seu Anthropologia exponuntur. Doctrina est actio magistri qui scientiam tradit. Disciplina est munus discipuli, scientiam accipientis. Scientia, ut dictum est, est cognitio rerum per causas. (7.)

Scientia dividitur in subalternantem et subalternatam; (8) in speculativam et practicam. (9) Subalternans dicitur ea quae in se habet sua principia, et est sui juris, alias quasdam suae ditionis faciens, quia conclusionibus ejus pro principiis utuntur, et exinde subalternatae id est subordinatae vocantur; ut conclusiones Physicae sunt principia Medicinae; conclusiones Arithmeticae, principia Musicae, etc. Speculativa dicitur quae in mera contemplatione veritatis sistit; practica vero quae circa operationem versatur.

3. Inter scientias duae primum occupant locum, quia unaquaeque, in ordine suo, res considerat per causas altissimas, Theologia scilicet et Philosophia. [10]

Theologia est scientia subalternata scientiae Dei et Beatorum, de qua per lumen revelationis sua tenet principia, ex quibus, per modum fidei receptis, tota profluit rationis decursu scientia theologica.

Philosophia vero est scientia subalternans, ex primis principiis quibus ordo naturalis illustratur proveniens, et sic omnes hujus ordinis scientiae Philosophiae subalternantur, et ab ea sua principia, suas leges, suas methodos mutuuntur.

Respectu tamen dignitatis materiae Philosophiae Theologiae subijcitur. (11.) Ordo enim gratiae, qui Theologiae ascribitur, ordinem naturae totam circumscribentem Philosophiam, transcendit, praetereaque in divinis ratio humana multum deficiens est. Unde fit quod propter certitudinem intellectus humanus revelatione indiget etiam in his quae per sua naturalia investigare potest. Quum igitur quae de Deo tradit Philosophia perficiantur et confirmentur ope Theologiae, quum aliunde praeambula fidei, seu, ut aiunt, motiva credibilitatis in jus Philosophiae cadant, insuper quum ad suas demonstrationes conficiendas Theologia Philosophiam ut domesticum instrumentum adhibeat, haud immerito philosophia theologiae ancilla nominatur. (12.)

Hanc distinctionem et ponere et propugnare omnino necesse est, ex quo recentiores philosophi differentiam inter ordinem supernaturalem et ordinem naturalem rejicientes, ac proinde inter intellectum hu-

manum, falso et impie asserunt omnem veritatem in foro Philosophiae verti.

4. Philosophia recte definitur: *Cognitio rerum per causas altiores, ex lumine naturali*. His vocibus *per causas altiores*; distinguitur ab omnibus aliis scientiis proprie humanis; per istas: *ex lumine naturali*, a Theologia secernitur. Quantum ad id quod objectum suum per causas altiores attingit, illud ex ejus partium consideratione evidenter patet. (13.)

5. In Philosophiae partibus aliquid est commune, et aliquid diversum: quod est commune determinat et constituit naturam et unitatem scientiae philosophicae, quod est diversum ejus membra dividit.

Hoc habent commune Philosophiae partes, quod proprium objectum per altiores causas considerant, quam aliae scientiae humanae suum. Ita rem se habere, et simul Philosophiam quadripartitam esse, sic ex proemio expositionis S. Thomae in primo libro Ethicorum, breviter ostenditur. [14]

Ordo quadruplex est: a'ius, quem ratio facit in rebus a se consideratis, in ipso actu considerationis suae, ut dum illas disponit in modum syllogismi, aut definitionis, aut divisionis. Alius vero quem a Deo factum in rebus ratio solum considerat, ut est ordo

naturae. Alius, quem ratio facit in actibus voluntatis, ut est ordo justitiae, prudentiae, etc. Alius demum quem ratio facit in artefactis, ut est dispositio domus, navis, etc.

Primus ordo quem ratio facit in suis conceptibus pertinet ad Philosophiam rationalem, seu Logicam, quae istiusmodi ordinem, scilicet, ut scholastici loquuntur, entis rationis, per ejus altissimas causas omnino perspicuum habet. Secundus ordo, scilicet rerum naturalium, sub duplici respectu consideratus duarum Philosophiae partium materiam praebet: 1.^o Physicae, quae sub ratione motus, id est per causam altissimam, in toto ambitu suo ens naturale considerat; 2.^o Metaphysicae, quae ens in genere speculatur sub rationibus ab omni materia abstractis, Deo communibus et substantiis separatis, id est puris spiritibus. Tertius ordo pertinet ad Moralem, quae omnia sub rationibus oppositis boni et mali comprehendit secundum respectum quem habent ad liberum arbitrium et voluntatem. Quartus ordo, scilicet rerum artificialium, quum sit imperfectior et servilis, non constituit novam speciem scientiae, sed pertinet ad artes mechanicas. Unde solum supersunt quatuor partes Philosophiae: Logica, Physica, Metaphysica et Moralis, quae quidem per qua-

druplicem respectum entis constituuntur, et illud in tota sua latitudine, logice, physice, metaphysice, moraliter considerant, et exponunt per causas altissimas. (15.)

6. Distributio partium Philosophiae, seu ordo earum ad invicem pendet a natura cujusque partis, et a modo quo philosophus procedit, qui penitus differt a theologi processu. Theologus enim qui creaturas non nisi in ordine ad Deum considerat, procedit de Deo ad creaturas; philosophus vero, qui creaturas secundum se considerat, et ex eis cognitionem Dei investigat, procedit de creaturis ad Deum.

His positis sic legitime ordinantur partes Philosophiae; Logica, Psychologia seu Anthropologia, Metaphysica, Moralis.

Sola evidenter haec legitima est distributio; intellectus enim noster non nisi definiendo, dividendo, componendo, ratiocinando, et Logicam ipsam, et alias Philosophiae partes instaurare potest. Unde fit quod a Logica incipiendum est, praemissis prolegomenis in quibus summatim exponuntur quaedam generalis Philosophiae notitia, et diversi modi sciendi qui sunt: methodus, definitio, divisio et syllogismus. Logica peracta Philosophia procedit ad investigationem creaturarum, quod est munus Physicae. quae

nunc a Philosophia separatur, servata tantum ejus quarta parte, in qua merito apud scholasticos de Psychologia agebatur. Ad integritatem Philosophiae, ejusque legitimam evolutionem, Psychologia Physicam omnino supplet, nam haud inconvenienter investigatio creaturarum ad hominem reducitur, quum sit inter illas nobilior et in se omnes alias eminenter contineat, qua de causa *microcosmus* appellatus est. De homine ad generalissimam entis et ad Deum Philosophia se assurgit, et haec est Metaphysica. Tandem noto homine, et natura Dei pro modulo Philosophiae investigata, tractatur de morali scientia, quae Deum inter et hominem relationes determinans et exponens, has relationes perspicere nequit nisi notis earum terminis. Et sic absolvitur cursus elementaris Philosophiae, nisi quod apud recentiores usus invaluit quintam addere partem, in qua breviter praecipuae philosophorum scholae perpenduntur; quod et ipsi huic compendio adjicere in animo est.

Tales viguere apud scholasticos omnes, definitio, partitio et distributio Philosophiae usque ad Cartesii tempus ex quo tam infelicer immutatae sunt.

Scientia philosophica suo fundamento stabat, in paucis et parvi momenti emendanda,

quum penitus eversa est ab opinatoribus qui saeculo decimo sexto ineunte, ad veritatis inventionem, tanquam ad litus plane ignotum viam sibi aperire pro nutu suo conati sunt. Inde evenit quod in nostris temporibus Philosophia nihil in sua constitutione praebeat stabile, dum unusquisque eam ut vult definit et arbitrario distribuit. Alius enim incipit a Metaphysica, alius a Psychologia, alius Ethicam sine Deo possibilem imaginatur, inter quos non tantum fidei christianae adversarii, sed etiam ejus amici et doctores. Insuper Philosophiae partes sic prave distributas omnimode adulterant, eis immiscendo quae non sua sunt, Logicae adscribentes quae ad Psychologiam pertinent, et vice versa, ita ut unaquaeque pars objectum proprium non habeat, et tota scientia corrumpatur et pene exhauriatur controversiis forensibus extra ejus limen positae et ponendis. (16)

Hos omnes positive et non disputando refellemus: non enim datur scientia contra scientiam. De his tamen qui prout libet incipere fas esse asserunt hoc dicendum est: quod nullus ab ethica exordium sumit; et immerito; nam si licet rationabiliter incipere a Psychologia, immo ab Ethica. Nihil enim perutilius ut doctrina suos fructus ob-

tineat, quam habere auditores morigeros et accurate disciplinatos; ergo magister scientiam morum debet quam primum tradere. Et si haec ratio fatua videtur, nonne amplius quae allegatur universim a psychologis? Oportet juxta ipsos a Psychologia incipere, quia Logica dirigit facultates intellectuales, et necesse est eas cognoscere, antequam dirigantur. Ad quod respondetur: Psychologia estne scientia? Si est scientia, efficitur a facultatibus intellectivis scienter directis? Si scienter directis, quo alio modo quam a Logica? Omnis Philosophiae alumnus empirice Psychologiam simul ac Logicam novit sed, ut patet, a cognitione empirica ad scientiam transiens, a Logica incipere debet, quae scientia est omnium scientiarum instrumentum.

7. Modus sciendi quadruplex est: methodus, definitio, divisio, syllogismus, de quibus sit. (17.)

§ 1. DE METHODO.

Non omnia simul uno intuitu videt intellectus noster, sed de uno ad aliud transit, singula vicesim considerans. In hac successione per quam cognitiones nostrae perficiuntur, ratio naturaliter cum ordine pro-

cedit, et hic ordo quum reflexe et scienter adhibetur nihil aliud est quam methodus.

Methodus (*vox graeca*) vi nominis significat cum via, seu juxta viam. Via supponit initium a quo incipit, terminum ad quem tendit, fundamentum in quo nititur, lumen quo illustratur, directionem secundum quam movetur; similiter et methodus.

Duplici modo se movet intellectus noster ad cognitionem acquirendam. Si perspicit causam, vel principium, vel naturam rei, tunc intellectus synthetice procedit, gradiens per viam deductionis de causa ad effectus, de principio ad consequentias, de natura ad proprietates et accidentia, de universalibus et simplicibus ad particularia et composita. Istiusmodi processus vocatur methodus synthetica et adhibetur in scientiis exponendis. — Si vero ignoramus causam, principium vel naturam rei, nihil aliud perspicientes nisi exteriora rerum, id est phaenomena, tunc intellectus analytice procedit ascendens per inductionem, de effectibus ad causam, de consequentiis ad principium, de accidentibus et proprietatibus ad naturam, de particularibus et compositis ad universalia et simplicia. Haec est methodus analytica cujus proprium munus est inquirere et invenire scientiam. In primo casu, metho-

di initium est *a priori*, et terminus *a posteriori*: certitudo et evidentia principiorum sunt ejus fundamentum et lumen, et directio est motus deductionis. In secundo casu methodus *a posteriori* incipit, *a priori* se assurgere conatur, certitudine et evidentia experimentalis fundatur illustraturque, et motu inductionis dirigitur.

Methodus non proprie duplex, sed una in se est, duos tantum habens processus, syntheticum et analyticum, compositionis scilicet et resolutionis; nam est ad imaginem rerum quae omnes duplicem praebent respectum, totum et partes, unitatem et varietatem. In qualibet quaestione duo methodi processus munus suum vicissim exsequuntur, sed, si synthetice incipitur, methodus dicitur synthetica; si vero analytice, analytica.

Aliis designantur nominibus duo methodi processus, quorum quidem syntheticus dicitur methodus compositionis, et analyticus, methodus resolutionis. Vocantur adhuc; prior, methodus rationalis, quia initium sumit a principiis intellectis; posterior, methodus experimentalis, quia operatur in lumine apparentium, tum per experientiam exteriorum, id est testimonium sensuum, tum per experientiam interiorum, id est testimonium conscientiae. Prior nuncupatur etiam me-

thodus juris; posterior, methodus facti seu auctoritatis, [méthode de droit, méthode de fait ou d' autorité], quia prior, principiis immediate intuitis, et consequentiis mediate per lumen principiorum perspectis, jure scientiae suas demonstrationes ineluctabiliter propugnat; posterior vero, quae cadunt sub sensu vel exteriori vel intimo, tanquam vera, necessario admittens, et de illis rationem reddere omnino persaepe impotens, tota ex tunc in testimonii auctoritate fundatur. Quod autem, in illis quae sub experientia cadunt, plurima in suis causis non adaequatae intelligantur, ratio est quia intellectus humanus non est possibilem mensura.

Methodus est instrumentum mere logicum, et ideo dat tantum in fine quod accipit in principio, nec plus, nec minus. Unde fit quod sensualistae, inter quos Baconius, solummodo quae per experientiam sensibilem innotescunt, methodo praeponentes, nullo pacto in suis ultimis consequentiis ultra corpus procedere valent; dum Cartesius et idealistae incipientes exclusive a cogitatione nuda et ab omni materia segregata, intra fines animae methodum, circumscribunt, et corpus invenire nequeunt.

Scholae philosophicae per suam methodum, quae tunc a suo principio nomen accipit, distinguuntur. Qui, duce experientia sensibili, quaerunt scientiam, vocantur sensualistae; qui rationem tantum sequuntur, ut primum et unicum fontem totius veritatis, dicuntur idealistae, qui in lumine experientiae simul et rationis procedunt et fidem rejiciunt, rationalistae habentur, quod nomen convenit pariter sensualistis et idealistis nam omnes in hoc concordant quod penes mentem humanam est arbitrium et norma de quolibet opinandi. Hi sunt de quibus scriptum est: "Semper discentes et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes." Schola quam sequimur, triplici principio utitur, experientia scilicet, ratione et fide.

Baconius et Cartesius reputantur tanquam inventores methodi particularis: prior methodi dictae observationis et inductionis; posterior dubii methodici juxta quod prima veritas est dubium ipsum, et criterium totius veritatis evidentia.

Baconius, ut accidit multis, se praedicavit inventorem ratione ignorantiae suae, et inventor apud ignaros in odium fidei diu habitus est. Sed, ut fateri non dubitavit philosophus nostrae aetatis praeclarus, professor Jouffroy, nec observationem, nec indu-

ctionem invenit Baconius. De caetero legendum est opus eximium comitis *J. de Maistre*, quod inscribitur: *Examen de la Philosophie de Bacon*.

Dubium Cartesii est positio nova a parte methodi, et nihil aliud est quam modus verificationis suum habens momentum. In quantum vero Cartesius philosophandi initium sumit a Psycho'ogia, in hoc Socratis positionem renovat: [*agnosce te ipsum*.] Error ejus, ut supra dictum est, ex eo provenit quod in dubio suo vidit tantum principium cogitans, animam scilicet, dum hoc dubium ut cogitatio quaelibet humana, sensu et littera constans, ostendebat pariter animam et corpus. De quo errore et gravissimis aliis quibus Cartesii doctrina laborat, in decursu hujus compendii, occasione admota, fusius disputabimus [18]

§ 2. DE DEFINITIONE.

Definitio vel significationem nominis, vel naturam rei interpretatur. Prior est tantum explicatio, et in hoc consistit quod loco vocis obscurae ponantur voces aequivalentes e sermone communi depromptae; posterior naturam rei exprimit, et haec est vera definitio.

Natura rei, sive essentia, seu forma, seu ratio, seu quidditas, nam haec omnia sub diverso respectu idem sonant, constituitur per genus et per differentiam. Genus est remotum, medium aut proximum; et similiter differentia. In omnibus naturis forma et materia compositis, aliquid existit commune, et aliquid diversum. Quod est commune constituit genus, et idem reperitur in omnibus speciebus generis, et in singulis cujusque speciei individuus. Quod est diversum distribuit genus in suas species et vocatur differentia specifica. Notandum est quod de individuus non datur definitio, nam quidquid est in illis individuatum est, dum genus et species, quibus definitio constat, sunt semper aliquid universale. Fusius haec suo loco exponentur: natura, essentia, quidditas, forma et materia, in proemio Anthropologiae; genus et differentia in Logica.

Definitionis quadruplex est conditio: 1.º debet esse clara, ideo nullam includere vocem obscuram; 2.º brevis, quod excludit omnem vocem inutilem; 3.º constare genere proximo et differentia maxime propria; 4.º debet reciprocari cum definito: His omnibus conditionibus pollet sequens definitio: *homo est animal rationale*, in qua nulla vox nec obscura nec inutilis reperitur;

quae habet genus, *animal*, et differentiam, *rationale*, et cujus reciprocatio evidens est, nam, *animal rationale* poni potest loco hominis et vice versa.

Definitio igitur essentiam rei exprimere debet; ergo, quae rem per proprietates vel per accidentia significat est descriptio potius quam definitio, ideo prior vocatur essentialis; posterior vero descriptiva. (19.)

§ 3. DE DIVISIONE.

Divisio, in genere, composita in suas partes resolvit. Definitio, ut patet, ad modum synteticum pertinet; divisio autem ad modum analyticum.

Omne compositum sub divisione cadit. Simplicia, ut Deus, angeli, anima humana, sunt indivisibilia; in his omnibus tamen quaedam ab invicem distinguuntur, ut attributa, virtutes, facultates, passionem. Distinctionem igitur et non divisionem admittunt simplicia. In compositis quaedam habent sui generis simplicitatem, et hoc fit quando in materia compositi una tantum forma recipitur, quod accidit auro, ferro, sulphuri et aliis corporibus apud chymicos simplicibus vocatis. Istiusmodi corpora secantur potius quam dividuntur, nam eorum partes,

vel minimae, naturam corporis integram retinent.

Divisionis proprie dictae sunt species tot quot sunt genera compositorum. Composita sunt physica, vel artificialia; composita physica sunt chymica vel organica. Divisio priorum est analysis chymica per quam in elementa componentia redeunt. Composita metaphysica sunt genera, species, axiomata, principia. Divisio hujusmodi distribuit genera in suas species, species in suas differentias, axiomata in veritates secundarias. Composita artificialia sunt aggregationes sub lege ordinatae, seu constructiones mechanicae ad finem quemdam accommodatae. Divisio artificialis solvit aggregationes in sua membra, juxta ordinem cui subjiuntur, et constructiones mechanicas in suas partes constitutivas.

Divisio legitima triplicem implere debet conditionem, scilicet integritatis, oppositionis et immediationis. Integritas divisionis in eo consistit quod se extendat ad omnes partes divisi, nihil omittens, nihil addens. Oppositio exigit ut illius membra ita sibi invicem sint opposita ut nullum in altero includatur. Immediatio in eo est quod accurate procedat divisio de toto ad partes, descendendo de primariis ad secundarias, nulla

intermediaria nec intervertens, nec omittens, quod est servare integritatem. [20.]

§ 4. DE SYLLOGISMO.

Syllogismus, in genere, est argumentum tribus constans propositionibus quae nominantur: major, minor, conclusio; et tribus terminis dictis: majus extremum; minus extremum et medius terminus. Syllogismi fundamentum sic se habet: quae sunt eadem vel diversa uni tertio sunt eadem vel diversa inter se. Plures de hoc argumento conficiendo traduntur regulae quae ad unam sic reducuntur: Oportet ut major propositio conclusionem contineat, et ut minor illud declaret. Syllogismus, qui est modus sciendi, qua de re ab Aristotele dicitur *faciens scire*, apodicticus seu demonstrativus vocatur, et constat propositionibus necessariis, certis et evidentibus. Sit in exemplum,

Quod existere incipit habet causam;

Atqui contingens incipit existere;

Ergo contingens habet causam.

De syllogismo et aliis argumentis in Logica tractatur. [21.]

FINIS PROLEGOMENORUM.

ADNOTATIONES AD PROLEGOMENA

EX DIVO THOMA DESUMPTAE.

(1.) 2. 2. q. 186. 1. — (2) 1. 2. q. 57. 2. c. 1. & c. q. 66. 5. c. 1. — (3.) 2. 2. q. 27. 3. c. — (4.) 1. 2. q. 57. 2. 1. & 2. 2. q. 9. 2. c. — (5.) 1. 2. q. 57. 2. 3. 4. 0 — (6.) 1. q. 56. 3. c. & 1. q. 64. 1. 0. & 2. 2. q. 97. & q. 154. 5. c. & q. 162. 3. 1. & 1. 2. q. 112. 5. c. — (7.) 2. 2. q. 189. 1. 4. — (8.) 1. q. 1. 2. c. 1. & Sex. — (9.) 1. q. 14. 16. C. — (10.) 1. q. 1. per totum — (11.) 1. q. 1. 5. c. & 1. 2. q. 66. 5. 3. — (12.) 1. q. 1. 1. 2.

(13.) Plurimae afferuntur Philosophiae definitiones: Cicero (2 de offic.) eam definit: *rerum divinarum et humanarum, causarumque, quibus hae res continentur scientia*. Aristoteles (1. Metaph. c. 1.) ait: cognitio per causas altiores; sapientis enim est considerare sublimiora rerum principia. Goudin definit: cognitio certa et evidens rerum per altiores causas naturali lumine parta. Cicero iterum definit: (2. de fin) studium sapientiae. Sanctus Augustinus lib. 8 de civitate Dei cap. 1.º ait: si sapientia Deus est, verus philosophus est amator Dei. Sanctus Thomas 1. Metaphysicorum, lect. 3.ª loquendo de Pythagora dicit: vocavit se Philosophum, id est amatorem sapientiae. Pa-

ter Iacquier definit: cognitio vera, certa, et evidens rerum naturalium per causas. Wolfius dicit: Philosophia est scientia possibilium, quatenus esse possunt. Denique Illmus. Bouvier, eam definit scientia ex primis principiis deducta. Sed abs dubio definitio Auctoris est optima, et consonat cum doctrina divi Thomae in anterioribus adnotationibus.

(14.) Vide Sanctum Thomam 1, ethic. lect. 1. et Nazianzenum Orat. 26 n. 8.

(15.) Vide Originem, prolog. in cantic., et Sanctum August. lib. 3. cont. Academicos c. 17. n. 37.

(16.) Vide inter Antiquos Goudin et Roselli: et inter recentiores P. Ventura Raulica Philosophia Christiana.

(17.) S. Thom. 1, q. 117. 1. c.

[18.] De methodo clare et profunde agit Pater Roselli in sua Summa Philosophica ad mentem Angelici Doctoris tomo primo quaestionibus 32, 33, 34, 35: in quibus 1º de methodo universim; 2º de methodo docendi; 3º de methodo addiscendi; 4º denique de methodo disputandi; in cujus adnotationibus reperire est doctrinam non solum Angelici Doctoris, sed etiam melioris notae philosophorum cujuscumque aevi. Praeterea de methodo recentiorum videndum est P. Ven-

tura Raulica in 1. t. Philosophiae Christianae.

[19.] De definitione vide P. Roselli t. 1. part. 3. c. 1. et P. Goudin Log. min. 1. P. q. 2. art. 2. § 2, et Wolfium in Logica part. 1. sect. 2. c. 4. ubi late agit de definitionibus a § 152. usque ad § 197, et Mastrii et Belluti T. 1. disp. 1.^a q. 5 de definitione.

[20.] De Divisione et ejus regulis vide P. Roselli t. 1. part. 3 c. 1.; item P. Goudin Log. min. part. 1.^a q. 2. a 3. et Mastrii et Belluti t. 1.^o disp. 1.^a q. 5. de divisione.

[21.] De regulis disputationum vide Bouvier in prolegom. et Iacquier in proemio c. 2 de methodo disputandi.

PROPOSITIONES

SEU CONCLUSIONES AD PROLEGOMENA EXPECTANTES

A TIRONIBUS PROPUGNANDAE.

- 1.^a Philosophia existit, et est scientia proprie dicta.
- 2.^a Philosophia recte dividitur in quatuor partes ab Auctore enumeratas.
- 3.^a Philosophia est utilis homini: qua homo qua christianus, et qua civis.
- 4.^a In disciplinis philosophicis traden-

dis Sancto Thoma magistro uti maxime expedit, atque ordo ab ipso constitutus est sequendus.

§ ADDITIONALAIS AD PROLEGOMENA DE DISTINCTIONE.

[Ex Iacquierio desumptus.]

Ea inter se distinguuntur, quorum unum non est aliud. Quare *distinctio* generatim idem significat ac *pluralitas*. Non tamen confundi potest distinctio cum separatione ac diversitate. Quaedam enim distinguuntur, quae separata non sunt, ut in homine corpus et anima. Item distinguuntur et separantur quae tamen diversa non sunt ut duo parietes per albitudinem similes. Hinc dici solet, distinctio est *negatio identitatis*: separatio est *negatio unionis*, diversitas est *negatio similitudinis*.

Distinctio duplex est, alia *realis* et *physica* quae est ex rerum parte ipsarum, etiam nemine cogitante. Alia dicitur *rationis* et *metaphysica* seu *intentionalis*, quae fit per mentem et rationem, ideasque ipsas tantum afficit. Si autem distinctio inter duas res intercedat, ut inter corpus et animam, tum *realis maior* appellatur: et *realis minor* di-

citur, quae est inter rem et eius modum, seu inter substantiam, et id quod substantiae inhaeret, quodque sine subjecto esse non potest, licet substantia sine illo esse possit, qualis est distinctio inter digitum et eius inflexionem; nam digitus potest esse sine inflexione, sed inflexio sine digito, quem afficit, nec esse, nec concipi potest. Distinctio realis minor vocatur etiam *modalis*. Sed nomen hoc convenientius tribueretur distinctioni, quae est inter modos separabiles, seu quorum unus in substantia remanere potest sine altero.

Distinctio rationis, vel fit cum aliquo fundamento in rebus ipsis posito, vel sine fundamento. Prior dicitur *rationis ratiocinatae*, atque etiam *virtualis* et *praecisiva*, quum scilicet eadem est entitas, sed virtute multiplex seu pluribus aequivalens. Unde idem efficit, ac si plures essent res. Sic iustitiam Dei et misericordiam distinguimus, unamque sine altera concipimus. Haec distinctio alio nomine vocari solet *praecisio obiectiva*. Posterior distinctio solet appellari *rationis ratiocinantis* et non *praecisiva*, ut si quis indumentum a vestimento secerneret. Haec autem distinctio nulla est, ut patet, in ipso intellectu; nam mutatio nominis ideam

non mutat: haec altera distinctio appellatur etiam *praecisio formalis*.

Scotus inter distinctionem realem et rationis mediam quamdam, et *a parte rei*, ut vocat, distinctionem excogitavit, qualem esse putat intra attributa divina, eamque appellat *formalem actualem ex natura rei*. Non enim, ut illi videtur, sola cogitatione iustitia Dei ab illius misericordia discernitur, neque tamen ut res diversae inter se distinguuntur, quum sint una et eadem entitas. Sed citra omnem mentis operationem una non est formaliter altera. Thomistae vero, rejecta formali Scotistarum distinctione: praeter realem et mentalem nullam admittunt. Fatentur quidem esse a parte rei *distinguibilitatem*, ut dicunt, seu fundamentum internum distinguendi varia rei simplicis attributa, ut misericordiam et iustitiam Dei. Sed negant actualem attributorum distinctionem fieri citra operationem mentis.— Haec pro brevitate sufficiant.

PRIMA PARS PHILOSOPHIAE.

LOGICA.

1.^o *Nomen.*—2.^o *Objectum.*—3.^o *Definitio.*—4.^o *Divisio Logicae.*

1. Logica vox graeca est quae latine *rationalis* interpretatur [supple: scientia.] Logica est naturalis facultas qua utimur omnes tam docti quam indocti, et idem est ac rationis exercitium. Logica est empirica apud eos qui leges rationis ignorant; fit scientia per istiusmodi cognitionem, et tunc est reflexa; de qua sit.

2. Facultas quaelibet cognoscitur per suum objectum, nam propter ipsum tota est. Objectum facultatis est id quod ipsi considerandum obijcitur et duplex est: materiale et formale. Materiale est ipsa res circa quam facultas versatur; formale est id quod in tali re facultas attingit. V. g. res quae videntur sunt objectum materiale visus; color est ejus objectum formale.

Res cognitae sunt objectum materiale Logicae; formale vero, ut aiunt scholastici,

est *ens rationis*, scilicet dispositio quam ratio nostra facit in rebus cognotis, in quantum eas ordinat per modum propositionis vel syllogismi. Ex utroque objecto materiali et formali fit objectum integrum, sicut ex anima et corpore fit unicum anima¹. Tale autem objectum vocatur *materia circa quam*, et medium quo facultas objectum attingit dicitur *ratio sub qua*. Inter objectum coloratum et visus mediat lux; inter scientiam quamlibet et objectum ejus mediant principia quae, ut dicit S. Thomas "sunt veluti quaedam animi lux irradians conclusiones." Objectum integrum Logicae est igitur omne cognitum ad formam propositionis vel argumenti redactum, et hoc est *materia circa quam*; medium vero, seu *ratio sub qua*, sunt principia et leges, quibus Logica demonstrat et propugnat suas definitiones, divisiones, propositiones et sua argumenta.

3. Logica in S. Thomae schola vulgo definitur: scientia entis rationis directivi operationum intellectus; quod sic interpretari potest: Scientia formarum quibus exprimuntur conceptus et diriguntur operationes intellectus. (1)

Nihil igitur includit Logica de realitate tam objectiva, id est objecti cogniti, quam

PRIMA PARS PHILOSOPHIAE.

LOGICA.

1.^o *Nomen.*—2.^o *Objectum.*—3.^o *Definitio.*—4.^o *Divisio Logicae.*

1. Logica vox graeca est quae latine *rationalis* interpretatur [supple: scientia.] Logica est naturalis facultas qua utimur omnes tam docti quam indocti, et idem est ac rationis exercitium. Logica est empirica apud eos qui leges rationis ignorant; fit scientia per istiusmodi cognitionem, et tunc est reflexa; de qua sit.

2. Facultas quaelibet cognoscitur per suum objectum, nam propter ipsum tota est. Objectum facultatis est id quod ipsi considerandum obijcitur et duplex est: materiale et formale. Materiale est ipsa res circa quam facultas versatur; formale est id quod in tali re facultas attingit. V. g. res quae videntur sunt objectum materiale visus; color est ejus objectum formale.

Res cognitae sunt objectum materiale Logicae; formale vero, ut aiunt scholastici,

est *ens rationis*, scilicet dispositio quam ratio nostra facit in rebus cognotis, in quantum eas ordinat per modum propositionis vel syllogismi. Ex utroque objecto materiali et formali fit objectum integrum, sicut ex anima et corpore fit unicum anima¹. Tale autem objectum vocatur *materia circa quam*, et medium quo facultas objectum attingit dicitur *ratio sub qua*. Inter objectum coloratum et visus mediat lux; inter scientiam quamlibet et objectum ejus mediant principia quae, ut dicit S. Thomas "sunt veluti quaedam animi lux irradians conclusiones." Objectum integrum Logicae est igitur omne cognitum ad formam propositionis vel argumenti redactum, et hoc est *materia circa quam*; medium vero, seu *ratio sub qua*, sunt principia et leges, quibus Logica demonstrat et propugnat suas definitiones, divisiones, propositiones et sua argumenta.

3. Logica in S. Thomae schola vulgo definitur: scientia entis rationis directivi operationum intellectus; quod sic interpretari potest: Scientia formarum quibus exprimuntur conceptus et diriguntur operationes intellectus. (1)

Nihil igitur includit Logica de realitate tam objectiva, id est objecti cogniti, quam

subjectiva, id est subjecti cognoscentis, et consequenter nullo modo versatur neque circa substantias, neque circa earum proprietates et accidentia in quantum ens reale participant. Veritas etiam et falsitas in ea tantummodo ex parte formarum considerantur, ita ut Logica, quae tota est in syllogismo conficiendo, non *consequentis*, sed solius *consequentiae* veritatem determinat. Logica igitur est mere formalis et ideo ejus objectum dicitur ens rationis. Excludit ergo, natura sua, multas quaestiones quae falso a quibusdam ei adscribuntur, ut theses de certitudine, de evidentia de inventione sermonis, de natura et origine idearum, de motivis judicii, quae theses ad Anthropologiam pertinent.

Logica est simul scientia et ars; est scientia in quantum perspicit naturam terminorum, propositionum, syllogismorum, cognoscit per causas leges juxta quas omnes adstruendae sunt logicae formae; est ars in quantum ope logicalium formarum dirigit operationes mentis. Ut scientia vocatur docens; ut ars dicitur utens.

4. Logica in tres partes dividitur sic disposita; prima tractat de terminis; secunda de propositione; tertia de argumentis, quorum syllogismus est caque et norma.

Haec divisio et distributio consona est formis logicalibus quae pendent a conceptibus quorum signa sunt, dum conceptus a mentis operationibus pendent. Tot igitur sunt logicae formae quot operationes mentis, et ordo operationum ordinem formarum determinat.

Operatio mentis triplex est: apprehensio, judicium, discursus. Apprehensio est operatio qua intellectus fertur simplici intuitu in suum objectum, de eo nihil affirmando vel negando. Judicium est operatio qua intellectus componit aut dividit, id est affirmat vel negat. Discursus seu ratiocinium est operatio qua intellectus ex uno vel pluribus judiciis aliud vel deducit, vel inducit. Harum autem operationum, prima ordinatur ad secundam, quia judicium non componit aut dividit, nisi post simplicem apprehensionem; secunda vero ordinatur ad tertiam, quia oportet quod, ex aliquo vero et evidenti judicio, cui intellectus assentit, procedatur ad certitudinem accipiendam de aliquibus ignotis. Terminus autem est signum simplicis apprehensionis; propositio, judicii; syllogismus, ratiocinii.

Praefatus ardo aliter sic verificatur per ultimum finem Logicae, qui est syllogismus.

Etenim syllogismus, quum sit quoddam totum, cognosci non potest partibus ignoratis. Partes autem syllogismi, quaedam sunt propinquae ut propositiones, quaedam remotae ut termini qui sunt partes propositionis. Syllogismi notitia praesupponit igitur investigationem terminorum et propositionis.

PROPOSITIONES SEU ONCLUSIONES DE LOGICA

IN GENERE PROPUGNANDAE.

1. ³ Logica artificialis vere est scientia.
2. ³ Logica artificialis utilis est ad omnes scientias, immo, necessaria ad comparandas scientias difficiles in statu perfecto.

[1] Logica definitur a Cicerone etymologice: (1 de finibus) Scientia rationalis, vel ratio disserendi (2 de Oratore:) a Roselli, ars bene disserendi, a Goudin: Logica, graece idem est ac *rationalis*: Dialectica vero idem ac *disputativa*: et utraque definitur: Philosophiae pars, quae mentem seu rationem dirigit in cognitionem veritatis. Eadem fere est definitio Wolfii et Iacqvier: ab aliis dicitur ars cogitandi. Dividitur in naturalem et artificialem; et utraque in theoreticam seu docentem et practicam seu utentem. Vide Wolfium et Iacqvier.

3. ³ Partes Logicae accipiendae sunt ex diversitate actuum rationis.
4. ³ Objectum formale Logicae est ens rationis, directivum trium mentis operationum. Circa tres primas, vide Roselli t. 1. quaest. 2. De 4^a vide Goudin log. maj. quaest. pream. concl. 2.

Prima Pars Logicæ.

DE TERMINIS.

Terminus in genere est vox sic dicta quia propositionem terminat. Dividitur in terminum primæ et terminum secundæ intentionis. Prima intentio est apprehensio rei ut in se est, ut dum video hanc vel illam arborem, hoc vel illud animal; secunda intentio est, conceptus quem sibi format intellectus de re apprehensa, illam cum aliis comparando, ut intentio generis, speciei, etc.

Quæ ad terminum spectant tribus sectionibus absolventur. In prima determinandæ sunt variae species termini in se considerati, et eorum proprietates; in secunda, juxta ordinem consuetum et infra verificatum, tractabitur de terminis secundæ intentionis, seu de prædicabilibus; in tertiâ de terminis primæ intentionis, seu prædicamentis.

SECTIO PRIMA.

DE TERMINIS IN SE CONSIDERATIS, ET EORUM PROPRIETATIBUS.

§ 1. De terminis in se consideratis.

Intermino duo distinguuntur, materia, quæ est littera termini, et forma, quæ est signi-

ficatio ejus. Ut materia et forma compositus, terminus est pars propositionis et dividitur in subjectum et prædicatum: subjectum est illud de quo prædicatum affirmatur vel negatur: prædicatum est illud quod affirmatur vel negatur de subjecto.

Respectu significationis et materiae simul sumptarum, terminus est: 1.^o categorematicus seu simplex, quando per se aliquid significat, ut *homo*, *lapis*; 2.^o syncategorematicus, seu incompletus, quando non per se aliquid significat, sed solum alteri junctus, ut *omnis*, *nullus*, *aliquis*, 3.^o mixtus, quando virtualiter utrumque prædictum continet ut *nemo*, id est *nullus homo*.

Respectu significationis tantum, terminus dividitur:

1.^o In concretum et abstractum. Concretus dicitur quum significat, adjective formam in subjecto existentem, ut *album*; abstractus quum significat substantive formam ab omni subjecto separatam, ut *albedo*.

2.^o In connotativum, id est adjectivum; et absolutum, id est substantivum.

3.^o In universalem et singularem, quorum prior significat aliquid commune omnibus ejusdem speciei individuis, ut *homo*; posterior vero de uno tantum dicitur, ut *Socrates*.

4.° In univocum, analogum et aequivocum.

Univocus significat rationem aliquam in pluribus simpliciter eandem, ut homo dicitur de omnibus qui naturam humanam habent.

Analogus significat rationem simpliciter diversam, sed secundum quid eandem. Analogia duplex est, attributionis scilicet et proportionalitatis. Analogia attributionis in eo consistit quod attributum principaliter conveniens alicui subjecto, ut sanus dicitur de homine qui habet sanitatem, extendatur omnibus qui aequaliter sanitati referentur, ut pulsus dicitur sanus quia sanitatem indicat; cibus, quia sanitatem conservat; medicamentum, quia sanitatem reparat. Analogia proportionalitatis in eo consistit, quod ratio proportionaliter in pluribus existens, eis juxta debitam proportionem attribuitur; eis *To* esse, seu *To* ens proportionaliter dicitur de substantia et accidente, nam substantia existit in se, accidens vero in alio.

Aequivocus significat res omnino diversas, ut canis qui dicitur de sidere, de pisce et de animale latrante.

Hae distinctiones sunt maximi momenti et qui non attente eas servit in errorem, incidit. Totus Spinosae pantaeismus ex eo provenit quod nivoce sumit nomen sub-

stantiae, dum analogice tantum convenit Deo et creaturis. (2)

§ 2 De proprietatibus terminorum.

Quinque numerantur termini proprietates: suppositio, ampliatio, restrictio, alienatio et appellatio.

1. Suppositio definitur: positio termini loco sui significati, ut, quum dico: *homo est animal*, *To homo* ponitur pro re significata, non vero pro ipsa voce, sicut, quum dico: *homo est nomen*. Prior vocatur formalis, posterior vero materialis.

2. Ampliatio est extensio termini a minori, ad majorem suppositionem, ut in hac propositione: *justi in perpetuum vivent*, ubi terminus ille *justi*, qui solum supponere posset pro justis futuris, quod exigit tantum verbum *vivent*, extenditur ad supponendum pro justis qui modo sunt et fuerunt.

3. Restrictio ampliacione opponitur; est

(2) De terminis agit Divus Thomas in commentariis Arist. tam 1. Prior. cap. 1, quam in 1. Periherm. per totum, quod ultimum commentarium dignum plane est ut summo studio legatur. De eodem subjecto agit Roselli t. 1. part. 1^a Logicae c. 1, et Goudin log. min. part. 1. q. 1. per totum.

enim coarctatio termini a majori ad minorem suppositionem. In ista propositione, v. g: *homo justus diligit Deum*, vox *justus* restringit suppositionem subjecti qui est *homo*.

4. Alienatio est usurpatio termini in sensu translatio et metaphorico, ut dum Scriptura vocat Christum, *solem justitiae*.

5. Appellatio definitur, applicatio unus termini supra alium. In propositione enim praedicatum veluti applicatur subjecto, ut dum dico: *Deus est bonus*, *bonus* applicatur supra *Deum*.

Dividitur autem appellatio in materialem et formalem. In termino enim concreto duplex est significatum, matereriale scilicet et formale. Formale est ipsa forma per terminum significata; materiale autem est subiectum habens talem formam; ut, in ista voce *homo*, *humanitas* est formale significatum, *persona* vero habens humanitatem est significatum materiale.

Appellatio formalis est, quando praedicatum cadit supra formale subjecti, ut dum dico: *medicus sanat*; non enim sanat, nisi formaliter, ut *medicus*. Appellatio materialis est, quando praedicatum cadit supra materiale subjecti; ut dum dico: *medicus cantat*:

non enim cantat formaliter ut *medicus*, sed ut *musicus*. (3)

SECTIO SECUNDA.

De terminis secundae intentionis, seu de praedicabilibus.

Sub duplici respectu, ut dictum est, Logica voces considerat: 1.^o quatenus res ipsas exprimunt; 2.^o quatenus significant puros conceptus mentis de rebus inter se comparatis. In priori casu voces primam intentionem, in posteriori vero secundam exprimere dicuntur.

Quidquid attribuitur actualiter huic vel illi subjecto vocatur *praedicatum*, sive sit primae, sive secundae intentionis terminus. Quum terminus non actualiter attribuitur, si est primae intentionis, *praedicamentum* dicitur, si vero secundae, *praedicabile* nuncupatur. Hujus differentiae ratio est quia prima intentio, ut substantia et accedens, existit in rebus et illis realiter attribuitur, unde praedicamentum dicitur, scilicet quod

(3) Vide Roselli 1. p. cap. 9. 10. et 11. ubi agit de proprietatibus propositionum quae ex terminorum proprietatibus desumuntur.

est praedicandum; secunda autem intentio, ut genus et species, existit principaliter in mente et rebus intentionaliter attribuitur, unde praedicabile dicitur, id est quod praedicari possibile est.

Praedicabilium accurata notitia est preambulum necessarium ad cognitionem praedicamentorum. Praedicamenta enim juxta praedicabilia distribuntur et per ipsa determinantur. V. g. substantia, quod est primum praedicamentorum, dicitur *genus* quod dividunt immediate duae *species*, spiritus scilicet et corpus, et sic de aliis. Sciendum est igitur quid sint genus, species et alia praedicabilia, antequam de praedicamentis tractetur.

Juxta naturam omnibus praedicabilibus communem vocantur universalia. Quaerendum est igitur 1.^o quid sit universale in communi; 2.^o quid in particulari; 3.^o per quod unumquodque praedicabile constituatur in ratione universalis; 4.^o quae sint ejus proprietates. (4)

(4) De praedicamentis agit Goudin log. min. p. 1. q. 1. art. 4. et 5. Et log. maj. p. 1. disp. 1. q. 1. Et Divus Thomas 1. q. 28. 1. c. et 2. c. sed praecipue in comment. Arist.

§ 1. De universalibus in communi.

Universale, sicut vox ipsa indicat, est unum versus alia, seu unum respiciens multa, et quadruplex est: in causando, in repraesentando, in essendo, in praedicando. Universale in causando est unum aptum causare multa, ut sol totius vitae corporeae excitator;—in repraesentando est unum multa repraesentans, ut idea architecti multas repraesentat domos;—in essendo est unum aptum inesse multis;—in praedicando est unum aptum praedicari de multis. Omisso universali in causando et in repraesentando de quo nulla est quaestio, Philosophia agit tantum de universali in essendo et in praedicando. Prius vocatur ontologicum, seu metaphisicum; posterius autem logicum. Universale ontologicum pertinet ad Anthropologiam, et in quaestione de natura idearum tractandum est. Hic tantum de universali logico quaestio est. (5)

(5) De universalibus in communi agit D. Th. 1. q. 55. 4. ad prim. et item 1. q. 85. 2. ad secund. et 3. ad prim. et quart. Et Roselli t. 1. q. 6. Et Goudin log. maj. dispt. 1. q. 1. per totum. Et Iacqvier p. 1. log. c. 2 art. 3.

§ 2. *De universalibus in particulari.*

Unum potest quinque modis inesse multis et praedicari de illis; ideo universale quintuplex est. Quidquid enim praedicatur de re aliqua, vel exprimit totam ejus essentiam (genus scilicet et differentiam, ut diximus in prolegomenis definitionem exponentes,) ut homo respectu Petri, et sic est *species*; vel exprimit id solum quod talis essentia commune habet cum aliis, et sic est *genus*, ut animal respectu hominis; vel exprimit id in quo talis essentia ab aliis differt, et sic est *differentia*, ut rationale respectu hominis; vel est aliquid consequens inseparabiliter essentiam, et sic est *proprium*, ut calor respectu ignis; vel demum contingenter advenit essentiae, et sic est *accidens*, ut color respectu luminis. Agemus 1.^o de genere; 2.^o de differentia; 3.^o de specie; 4.^o de proprio; 5.^o de accidente. (6)

1. Genus definitur: unum aptum inesse multis specie differentibus et praedicari de illis in *quid incomplete*; praedicari in *quid*,

[6] De eis agit Roselli t. 1. q. 7. et Goudin log. min. p. 1. q. 1. a. 4. et Lacquier P. 1. log. c. 2. a. 2. et Wolfius in Logica p. 1. sect. 1. c. 2. a § 70 ad 76.

id est secundum essentiam, nam essentia est *To quid* rei, et ideo dicitur *quidditas*, praedicari *incomplete*, id est non secundum totam essetiam, nam genus exprimit tantum partem communiorem essentiae.

Genus dicitur natura perfectibile, contrahibile et potentiale: perfectibile, quia est aliquid imperfectum quod perficitur per differentias supervenientes, contrahibile, quia est aliquid vagum et indifferens ad plures species; per differentias vero determinatur; potentiale, quia est in potentia ad differentias recipiendas. Idcirco, quamvis essentiam integram non exprimat genus, tamen eam implicite significat, in quantum est totum potentiale, cum omnibus differentiis eum dividitibus relationem habens, easque generaliter indicans.

Genus dividitur: 1.^o in supremum, subalternum et infimum: 2.^o in remotum et proximum.

Genus supremum est illud quod omnia alia continet. *To ens* non est genus, ut infra explicabitur; ideo substantia est genus supremum.—Subalternum est illud quod infra et supra se habet alia genera, ut corpus quod supra se habet genus substantiae, et infra se genus organicum et genus inorganicum. Infimum illud est quod habet ge-

nus supra, sed non infra; ut animal respectu equi, nam habet supra se tria genera, sic ascendendo disposita: genus organicum, corpus, substantia, et infra se nullum.

Genus remotum dicitur illud, quod praedicatur de aliquo suo inferiore, mediante subalterno; sic substantia praedicatur de angelo mediante genere spirituali, ut: angelus est substantia spiritualis.—Proximum dicitur illud quod immediate praedicatur de aliquo suo inferiore, et sic substantia est genus proximum corporis et spiritus.

2. Differentia definitur: unum aptum inesse multis et praedicari de illis *in quale quid incomplete*; praedicare *in quale* id est adjectivum, seu ut scholastici loquuntur, *connotative*: nam dum genus exprimit partem communem essentiae per nomen substantivum, ut *animal* in definitione hominis, differentia partem specialem ejusdem essentiae per nomen adjectivum exprimit, ut, in eadem definitione, *rationale*. Quantum ad *quid incomplete*, sensus patet ex modo dictis, et ex quibus dicta sunt in explicatione generis.

Differentia, de qua hic agitur, est propriissima et essentialis, nam sumitur ab essentia rei, ut *rationalitas* per quam homo a bruto essentialiter differt. Differentia dici-

tur propria quum sumitur a proprietatibus rei, ut haec et illa planta differunt virtutibus suis. Differentia dicitur communis quum sumitur ab accidentibus, sic homo sanus differt ab aegro. Hujusmodi differentiae ad scientiam proprie dictam non pertinent, cui tantum inservit differentia essentialis.

Differentia dividitur: 1.^o in supremam, ut spirituale et corporeum, quae sunt supremae differentiae dividentes substantiam: 2.^o in infimam, quae nullam infra se agnoscit, ut rationalitas respectu animalis, 3.^o in subalternam, quae mediat, ut organicum et inorganicum, ad differentias subalternas substantiae pertinentes, nam dividunt corpus quod dividit substantiam; et rursus dividuntur: organicum, in animal et plantam; inorganicum, in minerale et metallum. Quae differentiae secundum gradum subalternarum occupant in genere substantiae, et ad infimas immediate junguntur, ut animal rationalitati.

3. Species fit ex genere et differentia, et definitur: unum aptum inesse multis numero differentibus, et praedicari de illis *in quid complete*: id est per modum praedicati substantivi totam essentiam rei exprimentis; ut *homo* in ista propositione: Socrates est homo; nam homo idem sonat ac animal ra-

tionale, quod per genus proximum et differentiam proximam Socratis essentiam determinat. Nota est enim haec definitio: Homo est animal rationale.

Vox *species* sumitur adhuc pro pulchritudine, pro figura et apparentia rerum, et pro repraesentatione seu similitudine. Unde imagines rerum in sensibus, et formae earum spirituales in intellectu receptae, illae, species sensibiles, hae vero, species intelligibiles vocantur, de quibus tractatur in anthropologia.

4. Proprium est quod causatur a principiis essentialibus rei, et ad illa consequitur. Sicut ergo res non potest spoliari a sua essentia, ita quoque non potest spoliari a suis proprietatibus. Et sicut quaelibet res habet specialem essentiam ab omnibus aliis distinctam, ita quoque et proprietates sibi soli convenientes. Ideo proprium dicitur quod convenit omni (qui essentiam habet,) soli et semper. Trita exempla proprii sunt *To ridere*, seu, ut aiunt, risibilitas in homine, hinnitas in equis, etc.

Proprium definitur: unum aptum inesse multis et praedicari de illis *in quale necessario*; id est adjective et tanquam essentiae necessaria sequela. (7)

(7) Proprium quatuor modis apud Porphyrium dicitur: 1. quod soli alicui speciei convenit.

5. Accidens duplex est: aliud ontologicum, aliud logicum dicitur.—Ontologicum est vel spirituale, ut scientia, vel materiale, ut omne quod substantiam corpoream induit et sensibus manifestum est, ut extensio tangibilis, color, sapor, etc.—Logicum paulo latius sumitur pro omni eo quod non est cum essentia necessario conjunctum. Sic etiam privationes dicuntur accidentia logica, ut caecitas dicitur accidens oculi, tenebrae accidens aeris. Ipsae etiam denominationes extrinsecae dicuntur accidentia logica, ut, v. g. videri et non videri respectu parietis, sciri et nesciri respectu objecti.

Accidens ontologicum dicitur ens in alio subsistens, scilicet in subjecto, per oppositionem substantiae quae in se, non in alio subsistit, et est subjectum accidentis. Accidens istiusmodi est philosophice maximi momenti, et de eo accurate tractabitur, tum proxime in praedicamentis, tum in anthropologia tum, in metaphysica.

Accidens logicum recte definitur: unum

non omni; ut homini soli, non omni conveni, esse medicum; 2. quod convenit omni speciei sed non soli, ut homini esse bipedem. 3. quod soli speciei et omni, sed non semper convenit, ut vigilare et dormire soli quidem animae, sed non semper convenit. 4. quod omni speciei, soli ac semper convenit, ut rationalitas homini et proprium hoc modo sumptum est *quartum praedicabile*.

prædicabile de multis *in quale contingenter*; prædicatur *in quale*, scilicet per nomen adjectivum, et *contingenter*, id est tanquam possibiliter præsens vel absens salva rei essentia; intellige de absentia vel reali, ut pallor et rubor possunt abesse realiter a vultu; vel de absentia logicali, ut nigredo et albedo possunt abesse ab Æthiope et cygno; possumus enim per intellectum removere nigredinem ab Æthiope et albedinem a cygno, salva utriusque essentia. (8)

§ 3. De respectu secundum quem unum quodque prædicabile constituitur in ratione universalis.

1. Genus constituitur universale per respectum ad omnia inferiora quæ naturam ejus participant, tum species, tum individua quæ in specie continentur.

2. Differentia non constituitur universalis per respectum ad speciem, cujus est pars determinativa et, ut aiunt, actuativa, sed per respectum ad inferiora speciei, scilicet ad individua. Ut *rationale* non est universale per respectum ad hominem in communi, sed per respectum ad Petrum, Paulum, etc.

Notandum est quod genus et differentia sumuntur proxime a tota rei entitate; genus,

(8) Vide Goudin Log. Maj. part. 1. disp. 1. q. 2, per totum.

secundum id quod est in ea commune potentiale et determinabile; differentia secundum id quod est in ea speciale, actuale et determinatum.

3 Species non constituitur formaliter universalis per respectum ad genus cui subjicitur, sed per respectum superioritatis ad individua.

Individuum est correlativum speciei, sicut subditus est correlativum superiori. Unde definitur individuum, quod ultimo speciei subjicitur, vel, id quod de uno tantum prædicatur, ut Petrus, Socrates, Plato. Septem proprietates annumerat Porphyrius, quarum collectio perfecte individualitatem determinat, et quæ istis versiculis exprimuntur:

Forma, figura, locus, tempus, cum nomine sanguis.

Patria, sunt septem quæ non habet unus et alter.

Per formam intelligitur complexio; per figuram, lineamenta vultus; per locum et tempus ea pars terræ et temporis, in qua quis natus est; per nomen, proprium cujusque vocabulum; per sanguinem, familia et parentes; per patriam, sua gens vel natio.—De individuo et principio individuationis, alia majoris momenti suo loco dicentur.

Hic notandum est quod genus non potest salvum in unica specie bene tamen species in unico individuo. Ut enim ait S. Thomas (1. Post. Analy. lec. XII): «Non est possibile

inveniri aliquod genus cuius una tantum sit species. Genus enim dividitur in species per oppositas differentias. Oportet autem si unum contrariorum invenitur in natura et reliquum inveniri (contraria enim simul innotescunt, ut perfectum et imperfectum.) Et ideo si una species invenitur, invenitur et alia. Una autem species dividitur in diversa individua per divisionem materiae (quæ, ut ostendetur in Anthropol., est principium individuationis.) Contingit autem totam materiam alicui speciei proportionatam sub uno individuo comprehendere, et tunc non est nisi unum individuum sub una specie.» Hoc a fortiori accidit quum species recipitur in substantia spirituali. Tunc enim in diversa individua non dividitur, nam substantia huiusmodi indivisibilis est; quod quidem de angelis verum est, nam unicus angelus constituit unamquamque speciem angelorum, quæ numerice non potest multiplicari, ut ostenditur in expositione principii individuationis. (9.)

4. Proprium constituitur in ratione universalis per respectum ad inferiora speciei, nam in omnibus adest, et prædicatur de illis *in quale necessario*, ut dictum est.

(9) De principio individuationis existit quaestio profundissima Divi Thomae in t. 10, Summæ Romanæ pag. 156. ubi late et sapientissime de eo agit. omnino videnda.

5. Accidens constituitur in ratione universalis per respectum ad inferiora speciei, in quibus potest adesse vel non adesse, et de quibus prædicatur *in quale contingenter*, ut explicavimus. (10)

§ 4. De proprietatibus universalium

Duplex assignari solet proprietas universalium, perpetuitas scilicet et prædicabilitas. Perpetuitas pertinet ad quaestionem de ideis, et tractabitur in anthropologia. De prædicabilitate hic tantum agatur.

Prædicatio triplex est, materialis scilicet, identica et formalis. — Materialis est ea in qua prædicatum et subjectum sunt quidem a parte rei eadem res, attamen in conceptu unum, nullo modo includitur ab alio; ut, quum dico *animalitas est rationalitas*, ista propositio est materialiter vera, quia in homine animalitas et rationalitas sunt eadem res; attamen formaliter loquendo est falsa quia conceptus animalitatis nullo modo includit conceptum rationalitatis. Identica ea est in qua prædicatum omnibus modis idem est cum subjecto, ut dum dico: *Petrus est Petrus*. Formalis mediat inter utramque, et est quando prædicatum nec omnino idem est, nec formaliter

[10.] Vide Goudin loco in superiori annotatione citato; et Boselli t. 1. q. 7.

diversum a subjecto, sed unum aliquatenus includit aliud, id est predicatum includit subjectum in potentia, et subjectum actu continet praedicatum, ut dum dico: *homo est animal*, animal in potentia continet hominem, et homo actu continet animalitatem.

Adhuc, aliquid praedicatur dupliciter: in concreto et in abstracto; in concreto, quum significatum formale praedicati attribuitur subjecto cui inhaeret ut: *homo est rationalis*; in abstracto quum substantivus abstractus praedicatur de alio substantivo abstracto, ut: *humanitas est rationalitas*.

Praeterea inter abstracta substantialia et accidentalia illud intercedit discrimen quod abstractum substantiale, quum sit assentialiter principium seu pars sui concreti debet semper sumi ut tale; *humanitas* v. g. ut principium quo homo est homo; *animalitas* ut id quo homo est animal. Abstractum vero accidentale, quum sit tantum secundum quid et accidentaliter pars, absolute autem ens completum in suo genere, per ordinem quidem ad concretum accidentale debet sumi ut pars aut principium quo illud est tale; sed absolute habet rationem totius, et intelligi debet veluti ad modum per se subsistentis, ut *albedo*, in quantum refertur ad *parietem album* qui est concretum accidentale, sumitur ut pars hujus concreti; in quantum autem ad nullum concretum refertur, quod possibile

est, quia non necessario sed contingenter componitur cum subjecto habet rationem totius, ut *albedo* per abstractionem separata. His ita praenotatis, sic praedicabilitas ordinatur:

1.^o Genus et species in substantiis debent praedicari in concreto. Unde illa propositio: *homo est animal*, est vera praedicatio generis de specie, non autem ista: *humanitas est animalitas*. Et ista est vera praedicatio speciei de individuo: *Petrus est homo*, non vero, ut aiunt, *petreitas est humanitas*.

2.^o E contra in accidentibus genus et species debent praedicari in abstracto. Unde ista praedicatio est vere generis de specie: *albedo est color*, non autem ista *album est coloratum*.

3.^o Differentia, proprium et accidens praedicari debent in concreto de suis inferioribus, quia praedicantur *in quale* et per modum alicujus adjectivi; ergo et in concreto, nam omne adjectivum est concretum. (11)

(11) Vide Goudin log. maj. p. 1. disp. 1. q. 3. per totum et Roselli t. q. 9. et 10.

PROPOSITIONES SEU CONCLUSIONES AD SUPERIOREM SECTIONEM SPECTANTES.

1.^a Praeter voces et ideas sunt in ipsis individuis quaedam naturae universales ante omnem mentis operationem, non

004492

SECTIO TERTIA.

De prædicamentis.

Modis secundum quos unum, scilicet universale, dicitur de alio, explicatis, nunc ea quæ dicuntur de alio distribuenda sunt in quasdam classes et universalissima genera, quæ vocantur prædicamenta, græce *categoriae*.

Prædicamenta definiuntur: suprema genera eorum quæ prædicantur de prima substantia, seu series attributorum realium sub uno primo genere ordinatorum. Tota præ-

quidem formaliter, sed tantum fundamentaliter (Iac qvier p. 1. log. c. 2. q. 1.; Roselli t. 1. q. 6.; et Goudin log. maj. q. 1. disp. 1. a. 1. et 2.)

- 2.^a Universale logicum recte et adæquate dividitur in quinque prædicabilia. Roselli q. 7. t. 1. et Goudin lođ. maj. p. 1. disp. 1. q. 1. a. 4.
- 3.^a Genus non potest salvari in unica specie; bene tamen species in unico individuo. (Goudin log. maj. disp. 1. p. 1. q. 2. a. 5. et Roselli t. 1. q. 7. n. 7 et 8.)
- 4.^a In substantiis creatis neque abstracta de concretis, neque concreta de abstractis prædicari possunt: bene tamen in accidentibus, abstracta de concretis. Roselli t. 1. q. 9. n. 1. et 2.

dicamentorum quaestio in tres paragraphos dividitur. quorum primus erit de quibusdam præambulis, seu, ut vocant, de antepædicamentis, secundus vero et præcipuus de prædicamentis, tertius demum de postpædicamentis.

§ 1. *De antepædicamentis.*

Triplex est respectus in prædicamentis: 1.^o enim respiciunt ens in communi quod dividunt; 2.^o respiciunt substantiam quam denominant; 3.^o respiciunt sua inferiora tanquam suprema eorum genera. Respectu entis prædicamenta sunt analogia, ut in metaphisica ostendetur, respectu suorum inferiorum sunt univoca; respectu substantiae sunt denominativa. His positis sic ordinantur et exponuntur quinque antepædicamenta.

1. Primum antepædicamentum comprehendit univoca, analogia, æquivoca et denominativa. De univocis, analogis et æquivocis, tractavimus (vide supra p. 25.) Notandum est tantum quod illic agebatur de terminis, hic vero agitur de rebus per talia nomina significatis. Hanc differentiam indicare satis erit, addendo quod termini solent dici: univoca univocantia, analogia analogantia, æquivoca æquivocantia; e contra vero res significatae dicuntur: univoca univocata, analogia analogata, æquivoca æquivocata.

Denominativa tantum igitur explicanda

sunt. Sic exprimunt scholastici quae ab aliqua forma nomen habent solo vocis casu diversum, ut a grammatica dicitur grammaticus, a philosophia philosophus, et hoc modo substantia denominatur ab aliis praedicamentis, ut a quantitate quanta, a qualitate qualis, a relatione relata, &c.

2. Secundum antepredicamentum est complexum et incomplexum. Complexa sunt quae plura simul comprehendunt, ut *homo albus* comprehendit duas essentias, hominis scilicet et albedinis. Incomplexa sunt quae aliquid simplex exprimunt, ut homo, virtus, albedo, &c.

3. Tertium antepredicamentum est sequens regula: "Quando aliquid praedicatur de subjecto, quidquid dicitur de praedicato dicitur de subjecto;" quod intelligendum est de praedicatis primae intentionis, non vero de praedicatis secundae intentionis. Sic, quia animal dicitur de homine, quidquid convenit realiter animali, convenit etiam homini, v. g. esse sensitivum, dormitivum, vivens, &c. Attamen praedicata secundo intentionalia animalis, v. g. quod sit genus, quod sit contrahibile per differentias, &c., non conveniunt homini. Ratio hujus regulae est quia praedicatum continetur in subjecto. Unde quidquid pertinet ad praedicatum debet etiam competere subjecto. Propter hanc regulam, in coordinatione praedicamentali

semper superiores gradus cum suis proprietatibus includuntur in inferioribus, ut vivens in animali, animal in homine, et homo cum duobus aliis in Petro. Hinc est quod S. Thomas saepe utitur ista regula quam sic exprimit: "Semper prius includitur in posteriori."

4. Quartum antepredicamentum est alia regula quae sic se habet: "Duorum generum non subalternatim positorum diversae sunt differentiae; in generibus vero subalternatim positis nihil prohibet easdem esse differentias." Quoad primam partem regulae, scientia, quae est de genere accidentium, et animal, quod est de genere substantiarum non subalternatim ponuntur, et ideo non constituentur per easdem differentias; quoad secundam partem, planta, animal et homo subalternatim posita in genere substantiae per eadem differentiam a lapide differunt scilicet per vitalitatem quae est differentia superior inclusa in speciebus inferioribus, nam vitalitas in planta, in animali et in homine reperitur.

5. Quintum antepredicamentum est divisio entis incomplexi in decem praedicamenta quae sunt: substantia, quantitas, relatio, qualitas, actio, passio, quando, ubi, situs et habitus, quae omnia duobus versiculis sequentibus, servato praedicamentorum ordine, comprehenduntur.

Arbor sex servos fervore refrigerat ustos.
Ruri cras stabo, sed tunicatus ero. (12)

Ens, conceptus scilicet universalis totius entis abstrahens ab unoquoque singulari, in ratione generis non constituitur, nullas enim differentias essentielles continet. Divagatur enim per omnes categorias, et de illis analogice tantum praedicatur (vide supra p. 25.) Ens dividitur statim in substantiam et accidens, scilicet in ens quod existit in alio, et ideo de substantia et accidente praedicatur per analogiam proportionalitatis. Dicitur etiam transcendente, quia non solum est in omnibus sed adhuc super omnia praedicamenta.

Divisio entis in decem praedicamenta, percelebris et antiquissima, sic verificatur:

Tot sunt suprema genera quot sunt modi generales essendi. Sed sunt decem modi generales essendi. Etenim quidquid est vel in seipso subsistit vel in alio: si prius, ut homo, lapis, angelus, dicitur substantia, quae est supremum genus; si posterius, ut color, sapor, figura, dicitur accidens, quod rursus di-

[12] *Arbor* substantiam significat, *sex* quantitatem, *servos* relationem, *fervore* qualitatem, *refrigerat* actionem, *ustos* passionem, *ruri* locum aut ubi, *cras* tempus aut quando, *stabo* situm, postrema vero *revva tunicatus ero* habitum, (ita Iacquier.)

viditur in novem suprema genera. Quidquid enim accidit substantiae, vel eam extendit, et sic est quantitas; vel eam refert ad aliud, et sic est relatio, vel eam qualificat et in se modificat, et sic est qualitas; vel connotat aliquid extrinsecum quod fit duobus modis: aut accidens connotat substantiam ut principium a quo est, et vocatur actio, aut ut subjectum in quo est, et vocatur passio; vel ut mensuram durationis et dicitur quando; vel ut mensuram extensionis localis, et dicitur ubi vel per modum dispositionis partium locati in ordine ad locum, et dicitur situs; vel per modum ornamenti superadditi, et dicitur habitus seu vestitus. (13)

§ 2 De substantia et aliis praedicamentis.

De substantia et accidenti ontologice tractabitur in ea parte metaphysicae quae prae-

[13] Vide Goudin log. maj p. 1. disp. 2. q. 1. per totum. et Roselli t. 1. q. 11. et 12.

De hac celeberrima divisione entis videri oportet librum integrum a D. Agostino scriptum suoque filio Adeodato dictum de praedicamentis Arist. Item opus duobus magnis voluminibus comprehensum, de metaphysica inscriptum, a sapientissimo P. Francisco Suarez S. J. elaboratum, ubi de singulis praedicamentis latissime agitur.


dam, in singularem scilicet et in universalem Individua, ut Petrus, Paulus, etc., vocantur primae substantiae. Quum enim substantia duo dicat, scilicet subsistere in se et substare accidentibus utrumque principalius convenit individuis; non enim homo in communi subsistit, aegrotat, currit, studet, sed hic vel ille homo. Genus et species ut vivens, animal, homo, dicuntur substantiae secundae vel generales; genera namque et species non subsistunt nisi in individuis cum quibus identificantur, ut species humana in Socrate vel Platone.

Substantiae sex attribuuntur proprietates, quae non sunt aliquid realiter distinctum ab ipsa, sed tantum quaedam notiones secundae intentionis et praedicata mere logica.—Secunda est non habere contrarium stricte sumptum nam contraria sunt ea quae ab eodem subjecto se expellunt; unde sicut substantia non est in subjecto ita quoque non potest a subjecto per aliam expelli.—Tertia est non suscipere magis aut minus, nam substantia, quae cum quae sit ejus dignitas, non magis aut minus in se subsistit.—Quarta est esse subjectum contrariorum; siquidem quum substantia sit subjectum et basis accidentium potest suscipere visicim accidentia contraria.—Quinta est praedicari univoce de suis inferioribus et haec proprietas convenit solum substantiis


secundis quae praedicantur de primis.—
Sexta est esse *hoc aliquid*, id est aliquid per
se subsistens et substantive expressum, ad dif-
ferentiam accidentium quae solum signifi-
cant *quale*, et exprimuntur adjective. (14)

Arbor praedicamentalis substantiae crea-
tae (Deus enim, ut in metaphisica ostende-
tur, neque est in genere substantiae, neque
in genere entis), genera scilicet, species et
individua quae illud supremum genus divi-
dunt, si adaequate describeretur omnia crea-
ta in suo gradu et ordine exhiberet, quod
scientiam humanam penitus transcendit. In
schola tritum erat rude quoddam exemplar,
arbor Porphyrii nominatum, valde imperfe-

(14) Vide Goudin log. maj. p. 1. disp. 2.
q. 2. per totum praecipue a. 3.



ctum. Haec ordinatio sic abbreviari potest



(15) Vide instit. phil. Auctore Purchotio ubi reperies in fine schemata arboris Porphyrii secundum doctrinam Arist. et arboris ad mentem Platonis. In eodem Auctore reperies (log. 1. p. c. 5.) septem categorias a junioribus philosophis excogitatas et his versibus comprehensas

Mens, mensura, quies, motus, positura, figura.
Sunt cum materia cunctarum exordia rerum.


2. DE QUANTITATE.

Primum accidens quod immediate afficit substantiam corpoream est quantitas, videmus enim omnes omnino substantias hujusmodi esse quantitate praeditas, qua etiam mediante accipiunt caetera accidentia; ut corpus mediante extensione recipit colorem et figuram. Circa quantitatem tria quaeruntur: 1° quid sit; 2° quotuplex sit; 3° quae sint ejus proprietates.

1° In qualibet substantia quantitate affecta quinque reperiuntur. Primo enim talis substantia est distributa in varias partes integrantes; secundo implet quoddam spatium, seu extenditur ad certum locum; tertio expellit alia corpora a loco quem occupat, ideoque dicitur impenetrabilis; quarto ejusmodi substantia est divisibilis in partes; quinto demum mensurabilis est.

Haec autem omnia convenire substantiae ratione quantitatis ex eo constat quod substantiae spirituales, ut angeli, quia carent quantitate, his etiam omnibus carent. Nec enim integrantur ex variis partibus; nec implent proprie spatium; nec se mutuo á loco expellunt; imo omnes, etiam in minutissimo spatio, existere possunt; nec sunt capaces di-

De his etiam agit laqvier ac etiam de arbore praedicamentali in p. 1. log. c. 2. a. 8, n. 4 et 5.



visionis vel quantitativae mensurabilitatis, imo consistunt in indivisibili.

Ex quo patet quod ista quinque: extensio seu distributio in varias partes, occupatio loci seu extensio ad certum locum, impenetrabilitas, divisibilitas et mensurabilitas conveniunt substantiæ per quantitatem. Quæritur quodnam istorum sit constitutivum essentielle quantitatis.

Quidam dicunt quantitatem essentialiter consistere in extensione locali; alii in mensurabilitate. Communior sententia dicit essentielle constitutivum quantitatis esse extensionem partium in ordine ad se; id est consistere in eo quod distribuat substantiam in varias partes integrantes, quarum una non sit alia, sed ipsi per suam extremitatem unita.

Et hæc est doctrina S. Thomæ qui sic definit quantitatem (*opusc.* 48): «Quantitas est accidens extensivum substantiæ in varias partes integrantes.» Et alibi (*contra gent.* l. 4, c. 65): «Positio, quæ est ordo partium in toto, in ratione (essentia) quantitatis includitur.»

Quod sic probatur: quod est primum in re, et necessario concipitur tanquam radix aliorum quæ ipsi conveniunt, est essenziale constitutivum hujus rei. Sed quod est primum in quantitate est extensio seu distributio ejus in varias partes integrantes in ordine ad

totum; nam prius est habere partes extensas quam tales partes locum implere, expellere alias a loco, dividi posse et mensurari. Ergo. etc.

Falso igitur Cartesius extensionem localem assignat tanquam essentielle constitutum quantitatis. Veras rerum essentias penitus ignoramus. Tantummodo conditiones essentielles existentiae earum metaphisice et logice possumus ordinare, ad quod multo inserviunt mysteria fidei, ut ostendetur fusius in procemio anthropologiae. Sententia Cartesii ponit essentiam quantitatis in aliquo secundo et sic rationi adversatur. Aliunde penitus evertit mysterium Eucharistiae; nam corpus Christi in Eucharistiae retinet quantitatem suam, et tamen, pro illo statu, nec occupat locum, nec expellit alia corpora a loco, nec partibile est, nec mensurabile. Unde, quum Deus nihil operetur contra essentiam rerum, sequitur essenziale constitutum quantitatis radicaliter consistere in extensione partium integranum in ordine ad totum, ut probatum est.

2^o Quantitas, ut notat S. Thomas, duplex est; quantitas dimensiva, seu quantitas molis, et quantitas virtutis seu perfectionis. Prima convenit solis rebus corporeis, et constituit praedicamentum quantitatis. Alia vero dicitur etiam de rebus spiritualibus de qua inquit Augustinus: «In his quae non mo-

le magna sunt, sed virtute, hoc est majus esse, quod est melius esse.» Haec autem quantitas virtutis seu perfectionis attenditur tripliciter: 1^o quantum ad praestantiam naturae; 2^o quantum ad durationem essendi; 3^o quantum ad virtutem agendi. Hos tres modos complexus est Augustinus quando dixit aequalitatem (quae est proprietas quantitatis) intelligi in personis divinis in quantum nulla ipsarum vel praecedit aeternitate, id est duratione, aut excedit magnitudine, id est praestantia naturae, aut superat potestate, id est agendi virtute.

Divisio quantitatis dimensivae, de qua tantum hic agitur, desumi debet ex ejus definitione qua dicitur: accidens extensivum substantiae in partes, seu extensio partium in se ipsis in ordine ad totum. Unde juxta varios modos extensionis in partes, erunt variae species quantitatis.

Quantitas dimensiva dividitur in permanentem et successivam; permanens, in continuam et discretam; successiva in tempus et orationem, scilicet in vocem ex pluribus syllabis successive prolatis; unde tempus est quantitas successiva continua, et oratio quantitas successiva discreta.

Permanens est ea cujus partes existunt simul. Permanens continua, aliter dicitur quantitas molis, et triplex est: linea quae extenditur in longum, superficies quae ex-

tenditur in longum et latum, corpus quod extenditur in longum, latum et profundum. Permanens discreta, aliter quantitas multitudinis, dividitur in variis species numeri, ut in binarium, ternarium, etc.

Successiva est ea cujus partes non existunt simul, sed una succedit alteri. Haec quantitas non realiter differt a rebus ipsis, et sumitur ab eis in quantum mutantur in tempore, vel moventur de loco ad locum. Unde nec motus, nec tempus, nec locus, nec oratio sunt propriae species quantitatis. Motus enim est essentialiter via et tendentia ad terminum cujus est fieri; est igitur aliquid incompletum quod reducitur ad suum terminum, et proinde reductive pertinet ad praedicamentum sui termini, ut motus ignis qui est calefactio, ad calorem. Tempus est numerus seu mensura motus, et ideo si motus non est proprie quantitas, nec a fortiori ejus mensura. Locus nihil addit superficiei quam ambit. Oratio, in quantum pluribus syllabis constat, reducitur ad quantitatem multitudinis; in quantum vero syllabae prolatae sunt longae vel breves reducitur ad tempus.

Restat igitur quod sint tantum duae species quantitatis dimensionis proprie dictae: continuum molis et discretum multitudinis, scilicet quantitas continua et numerus. Numerus autem hic sumitur in concreto, id est pro rebus numeratis, et definitur: multitudo mensurata per unum.

3^o Praeter proprietates quantitatis supra relatas; extensionem scilicet, impenetrabilitatem, mensurabilitatem et divisibilitatem, tres adhuc pure logicales annumerantur.—Prima est non habere contrarium proprie dictum. Quantitas enim est medium per quod substantia in partes extenditur et fit subjectum ex quo contraria se expellere possunt.—Est igitur de ratione subjecti et sic proprietatem substantiae quae, ut ostendimus, contrarium non habet, participat.—Secunda est non suscipere magis et minus; non quod nequeat crescere vel minui, sed quia minima aequae perfecte est quantitas sicuti et maxima.—Tertia est, quod secundum quantitatem res proprie dicuntur aequales aut inaequales.

Quantum ad coordinationem specierum quantitatis, sumendo solum species proprias et rigorosas, sic ordinatur praedicamentum ejus. In primis, quantitas dimensionis in communi dividitur in quantitatem continuam et discretam, quae alio nomine dicitur numerus; seu in quantitatem molis et quantitatem multitudinis. Quantitas discreta dividitur in varias species numerorum, binarium scilicet, ternarium, etc., quorum quilibet est infimus in sua specie. Quantitas vero continua dividitur in lineam, superficiem et corpus, quarum quaelibet est species infima; nam omnis linea est ejusdem speciei, sicut et omnis su-

perficies, quamvis possit suscipere triangularem, etc. Neque mirum est quod praedicamentum quantitatis dividatur in paucas species quia diversitas specifica est a forma. Quum ergo quantitas sit admodum materialis, non dividitur multis divisionibus specificis et formalibus (16)


3. DE RELATIONE.

Tertium praedicamentum est relatio, cujus notitia summe necessaria est non modo philosophis, sed etiam theologis, quum nulla fere sit utriusque scientiae pars in qua de aliquo ente relativo non disputetur. Circa relationem tria quaeruntur. 1° quid sit? 2° quotuplex sit? 3° quas habeat proprietates?

1. Per relationem communissime sumptam intelligitur respectus unius rei ad aliam. Sic intellecta relatio dividitur:

Primo, in realem et rationis. Relatio realis est quando talis ordo et talis respectus invenitur in rebus nemine cogitante; sic effectus ordinatur ad causam, filius ad patrem, scientia ad objectum. Relatio rationis est quando aliquid per rationem solum ordina-

(16) Vide Coudin log. maj. p. 1. disp. 2. q. 3. per totum: et Roselli t. 1. q. 12. n. 2. de quantitate.



tur ad aliud, ut praedicatum ad subjectum, genus ad species, etc.

Secundo, relatio realis dividitur in transcendentalem et praedicamentalem.

Relatio transcendentalis est entitas absoluta in qua tamen secundo reperitur ordo ad aliquid aliud; sic entitas partis ordinatur ad totum entitas effectus ad causam, entitas animae ad corpus cuius est forma. Transcendentalis dicitur quia naturam relationis transcendit quatenus est aliquid absolutum. Istiusmodi relatio aliter vocatur *secundum dici*, eo quod non sit aliquid pure relativum, et non constituit speciale praedicamentum, nam per omnia praedicamenta, ut ens reale, vagatur.

Relatio praedicamentalis, de qua tantum quaestio est, definitur: accidens reale cuius totum esse est ad aliud se habere, id est quod consistit in puro respectu. — In primis relatio dicitur *accidens*, ut excludantur ab hoc praedicamento divinae relationes, quae non sunt accidentia, nam in Deo nullum est accidens. Additur *reale*, ut excludantur relationes rationis; siquidem solum ens reale ponitur in praedicamento. Aliae vero particulae definitionis excludunt relationes transcendentales, seu *secundum dici*.

Quatuor praecipuae condiciones requiruntur ad relationem praedicamentalem: subjectum reale; fundamentum reale; terminus

realis; distinctio realis inter extrema relationis, id est inter fundamentum et terminum. Subjectum relationis est illud in quo subjectatur relatio, seu quod refertur; fundamentum vero est ratio respiciendi, seu referendi; terminus est id quod respicitur. Sic in relatione paternitatis, homo qui genuit filium est subjectum talis relationis; vis generativa est fundamentum; filius genitus est terminus. Subjectum cum relatione vocatur relativum; et terminus, in quantum vicissim ad subjectum refertur, correlativum.

Quaeritur circa relationem movetur haec acutissima quaestio; utrum realiter fundamentum relationis a relatione distinguatur? Sententiam affirmativam tenet S. Thomas dicens: «In nobis relationes habent esse dependens, quia earum esse est aliud ab esse substantiae, unde habet proprium modum essendi, secundum propriam rationem, sicut et in aliis accidentibus contingit; quia enim omnia accidentia sunt formae quaedam substantiae superadditae et a principiis substantiae causatae, oportet quod eorum esse sit superadditum supra esse substantiae, et ab ipso dependens.» (*Contra gentes*, l. IV, c. 14.)

Dependet igitur relatio a suo fundamento, sed ab eo realiter distinguitur, nam ut ex definitione constat, totum esse relationis est ad aliud se habere, dum fundamentum est entitas absoluta. Mortuo filio perit respectus pa-

ternitatis, manente tamen entitate fundamenti, scilicet facultate productiva.

Sententiae oppositae sectatores docent entitatem fundamenti duplex munus habere, scilicet absoluti et respectivi; unde pereunte termino, perit, quantum ad exercitium, munus relativi in fundamento, manet vero munus absoluti.

Sed ista positio tribuit creaturis quod est soli Deo proprium. Theologi enim docent cum S. Thoma quod divina essentia, propter sui eminentiam, simul in se comprehendit in una simplici entitate munus absoluti et relativi; unde Pater aeternus per eandem entitatem realem est Deus (quod est aliquid absolutum) et etiam Pater (quod est aliquid relativum). Ergo illa duo munera non possunt adunari in creaturis in una entitate, quia ut fert axioma: «Quae sunt unita in superioribus, sunt divisa in inferioribus.» Ergo entitas relationis differt ab entitate fundamenti.

2. Relationes variantur ut fundamenta sua, nam relatio a fundamento causatur. Tot sunt autem fundamenta relationum (S. Thomas, l. V Metaph., lect. 17) quot sunt rationes cur unum ordinetur ad aliud. Atqui tres solum sunt rationes propter quas unum respicit aliud; nam omne quod ordinatur ad aliud, vel ipsum respicit secundum esse, vel secundum operari, vel secundum convenien-

tiam aut disconvenientiam. Si respiciat primo modo tanquam mensuram et regulam sui esse suaeque perfectionis, est fundamentum mensurae et mensurabilis; sic scientia respicit suum objectum, exemplatum suum exemplar, creaturae Deum, et generaliter omne specificatum suum specificativum. Si vero respiciat secundo modo, ut causam vel effectum, erit fundamentum actionis vel passionis; sic filius respicit patrem et generaliter omnis effectus suam causam. Si demum tertio modo respiciat, in quantum convenit vel disconvenit, erit unitas et numerus, seu fundamentum convenientiae et disconvenientiae; sic paries albus respicit alium parietem album ut convenientem, et nigrum ut disconvenientem. Omnis autem convenientia praecipue attenditur secundum tria praedicamenta: secundum substantiam, et dicitur identitas; secundum quantitatem, et dicitur aequalitas; secundum qualitatem, et dicitur similitudo.—Triplex est igitur genus relationum; mensura et mensurabile, actio et passio, unitas et numerus.

Relatio dividitur adhuc in mutuam et non mutuam. Relatio est mutua quum ordo ex utraque parte est reciprocus, ut inter patrem et filium, et inter duos parietes albos; non mutua est quum ordo non reciprocatur, sed solum se tenet ex parte unius extrin-

ut creatura quidem ordinatur ad Deum, sed Deus non ordinatur ad creaturas.

Relatio mutua subdividitur in relatioem aequiparantiae, et disquiparantiae: aequiparantiae quando in utroque extremo reperitur respectus ejusdem rationis et ejusdem nominis, ut inter duo alba; disquiparantiae, quando in utroque extremo respectus nec est ejusdem speciei, nec ejusdem nominis, ut relatio patris ad filium, et filii ad patrem, quarum una dicitur paternitas, altera filiatio.

Acerrime disputatur in schola de termino relationis mutuae et non mutuae. Alii tenent omnes relationes tam mutuas quam non mutuas terminari ad relativum; alii, ut Scotistae, omnes relationes utriusque generis terminari ad aliquid absolutum sub ratione absoluti. Mediam tenemus viam.

Et primo certum est relationem mutuam terminari formaliter ad aliquid relativum, scilicet ad suum correlativum; v. g. pater terminatur ad filium, non quatenus homo est sed formaliter reduplicative quatenus filius est.

Secundo de relatione non mutua notandum est quod dupliciter aliquid dici potest relativum (S. Thomas L. V. Metaph., lect. 17): subjective et intrinsece; terminative et extrinsece. Relativum intrinsece et subjective est id quod habet in se relationem. Relativum vero extrinsece et terminative est id

quod terminat relationem in alio existentem. Sicut aliquis potest dici dupliciter inimicus: subjective scilicet et intrinsece, quia odio habet aliquem; terminative et extrinsece, quia odio habetur. Hoc posito dicimus quod in relationibus non mutuis terminus est quid relativum terminative et extrinsece, ac proinde absolutum; in hoc enim differt relatio non mutua a mutua, quod in ejus termino nullus sit reciprocus respectus.

Explicata divisione generica relationum, nunc explicandum est unde sumatur unitas specifica et numerica earum.

Unitas specifica relationis desumitur a fundamento simul et termino, seu ex coaptatione fundamenti cum termino; diversitas vero specifica sumitur ex diversitate fundamenti vel termini. Cujuslibet enim rei unitas specifica ab eo desumitur a quo suum habet esse; sed relatio habet suum esse a fundamento simul et a termino; ab utroque igitur unitatem specifica sumit. Quantum ad diversitatem specificam, quum relatio specificetur ex coaptatione fundamenti cum termino, et coaptatio varietur variato alterutro extremo, patet quod variato seu fundamento seu termino variatur relatio. Unitas numerica relationum desumitur ex unitate numerica subjecti; unde in uno subjecto non potest esse duplex relatio solo numero distincta, ut in uno patre duplex paternitas. Relatio e-

nim est accidens, et, ut in metaphisica ostenditur, omne accidens desumit suam unitatem numericam a subjecto.

3. Proprietates relationum quinque numerantur, quarum prima est non habere contrarium; nam relationes non habent inter se contrarietatem sed solum oppositionem relativam per quam non se mutuo destruunt, sicut contraria, sed sese mutuo respiciunt. Secunda est non suscipere magis et minus per se, id est non magis vel minus esse relationes. Tertia est invicem converti; v. g. dominus est servi dominus, et servus est domini servus. Quarta est esse simul natura, id est simul existere: impossibile est enim ut sit servus sine domino, et dominus sine servo. Quinta est esse simul cognitione, nam sese mutuo definiunt et notificant, ut patet. Impossibile est enim cognoscere unum relativum sine alio, ut servum sine domino, et dominum sine servo. Notandum est quod tres ultimæ proprietates solis relativis mutuis videntur proprie convenire.

Quantum ad coordinationem hujus prædicamenti, in primis relatio prædicamentalis est supremum genus, quod dividitur in relationes primi, secundi et tertii generis: id est fundatas in unitate et numero, seu convenientia, et disconvenientia, actione et passione, mensura, et mensurabili. Relatio primi generis dividitur in relationes convenientiæ

et disconvenientiæ; relatio convenientiæ subdividitur in relationes identitatis, æqualitatis, et similitudinis; relatio disconvenientiæ, in relationes diversitatis, inæqualitatis, et dissimilitudinis. Relatio vero inæqualitatis, præcipue in numeris, subdividitur in varias species, secundum varias proportionem quæ attenduntur in numeris, ut in relationem dupli, quadrupli, etc., de quibus agunt arithmetici. Relatio secundi generis dividitur in relationem fundatam in actione et passione. Relatio tertii generis dividitur in relationem ad mensuram quæ est exemplar. Hæc vero species possunt rursus subdividi in alias, quas recensere non est necesse. (17)

4. DE QUALITATE.

Qualitas tripliciter sumi potest: primo latissime pro eo quod prædicatur *in quale quid* et tunc qualitates a differentiis essentialibus non distinguuntur; secundo paulo strictius, pro eo quod prædicatur *in quale accidentaliter*, et sic omne accidens potest dici qualitas; tertio demum qualitas sumitur strictissime pro certo prædicamento accidentis, cuius proprium est accidentaliter qualificare, modificare et disponere substantiam. In hoc tertio sensu sumitur hic qualitas de qua tria queruntur; 1.º quid sit; 2.º quotuplex sit; 3.º quæ sint ejus proprietates.

1. Qualitas definitur a S. Thoma: accidens modificativum seu dispositivum substantiæ. Per *To accidens* convenit qualitas cum aliis prædicamentis accidentalibus; cæteræ vero particulae exprimunt in quo ab illis distinguitur. Et ne dicas quantitatem modificare etiam substantiam in quantum illam extendit, nam proprie quantitas non modificat substantiam. Illam enim extendit præcise in quantum tribuit ipsi partes diversimodi modificabiles. At vero qualitas superveniens tali vel tali modo disponit istas partes. Unde modificare substantiam et partes ejus proprie convenit qualitati.

2. Tot sunt species qualitatis quot sunt modi quibus substantia disponi et determinari potest in se ipsa (S. Thomas, S. Theol. 1. 2. q. 49, art. 2). Sed substantia disponi potest quadrupliciter: vel enim substantia disponitur ut bene aut male se habeat, et sic constituitur prima species qualitatis, habitus et dispositio; vel substantia disponitur secundum operari, ut fortiter aut languide agat vel resistat, et hæc est secunda species, potentia aut impotentia; vel substantia disponitur secundum motum physicum, et hæc est tertia species, passio et patibilis; vel disponitur secundum partes quantitativas, et hæc est quarta species, forma et figura. De quibus sit.

Habitus et dispositio. Qualitas determinans subjectum ad bene vel male se habendum, aut firmiter inhaeret subjecto et principiis immobilibus nititur, aut solum inhæret mobiliter, in quantum habet principia instabilia. Si firmiter inhæret vocatur habitus; si mobiliter, dispositio.

Habitus sumitur tripliciter: 1.^o pro possessione; nam habere idem significat ac possidere; 2.^o pro vestitu; 3.^o prout idem est ac bene vel male affici ac disponi. In hoc tertio sensu sumitur hic habitus et definitur: qualitas difficile mobilis determinans subjectum ad bene vel male se habendum. Dispositio vero: qualitas facile mobilis determinans subjectum ut bene vel male se habeat. Fides divina, scientia, virtus, gratia habituales sunt habitus, varii status corporis et animae qui a circumstantiis pendent vel a complexione sunt dispositiones, ut sanitas, morbus, aptitudines corporales vel spirituales, gaudium, tristitia, etc. Habitus igitur et dispositio essentialiter differunt. Quod enim aliquid ex natura sua sit difficile mobile, et quod sit facile mobile, videtur designare diversitatem principiorum essentialium quibus inmititur, ac proinde facit essentialiter differre. Attamen, ut notat S. Thomas, aliquando contingit ut propter infirmitatem subjecti, habitus sit per accidens facile mobilis, et, propter obstinationem subjecti, dispositio sit difficile mobilis. Habitus dicun-

tur entitativi aut operativi, et similiter dispositiones: entitativi, quum determinant substantiam secundum proprium esse ad bene vel male se habendum; operativi, quum eam determinant secundum facultates ejus ad bene vel male operandum.

Potentia et impotentia. Hæc secunda species qualitatis definitur: qualitas disponens substantiam ad agendum vel resistendum, seu, quod idem est, principium proximum agendi vel resistendi. Potentia et impotentia non radicaliter opponuntur, sed tantum ut gradus superior et inferior ejusdem virtutis. Visus v. g. est potens in juvene et impotens in sene. Potentia et impotentia ab habitu et dispositione differunt in eo quod utrumque supponit potentiam et impotentiam, id est vim seu fortem seu debilem agendi vel resistendi, et eam determinat ad bene vel male se habendum; ut habitus justitiæ, quæ sopponit potentiam volendi, eam rectificat circa bonum alienum, ut non male teratur ad ipsum.

Passio et patibilis. Passio quintupliciter sumitur: 1.^o pro proprietate essentiali consequente, ut lux dicitur passio solis, et durities adamantis; 2.^o pro receptione cujuslibet effectus et sic constituit sextum prædicamentum de quo infra; 3.^o specialiter pro receptione alicujus afflictivi, ut passio Christi; 4.^o pro motibus appetitivis quibus ani-

mal fertur ad bonum et fugit malum, ut amor, odium, timor, ira, etc.; 5.^o pro qualitate alterationem causante vel consequente, et in hoc sensu hic sumitur.

Hæc tertia species definitur: qualitas alterationem sensibilem causans, vel ab alteratione sensibile causata. Præcipuæ hujusmodi qualitates, ut veteres naturalistæ docebant, sunt calor et frigus, humiditas et siccitas, ex quibus omnes aliæ juxta ipsos proveniunt. Hæc in melius mutavit physica recentior, sed quantum ad phaenomena ordinatio prædicamentalis eadem convenienter remanet. Inter has qualitates sunt quæ perseverant, ut pallor ex melancholico temperamento, et dicuntur patibiles; sunt vero quæ cito transeunt, ut rubor ex verecundia, et vocantur passionēs.

Forma et figura. Forma quintupliciter sumitur 1.^o pro spiritibus puris, et tunc dicitur substantia seu forma separata; 2.^o pro actu substantiali materiam informante; sic anima dicitur forma viventis; 3.^o pro qualibet essentia tanquam ejus pars principalior; 4.^o pro quocumque actu sive substantiali; sive accidentali; sic albedo, virtus, scientia dicuntur formæ accidentales; 5.^o pro qualitate ex dispositione partium quantitativarum resultante. De hoc ultimo sensu nunc quæstio est; aliam prooemio anthropologiae exponentur.

Hæc quarta species qualitatis definitur, qualitas resultans ex diversa dispositione partium quantitatis; et dicitur forma in rebus artificialibus, et figura in naturalibus. Plerumque attamen hæc distinctio non servatur et vicissim utraque vox utramque acceptionem habet.

3. Tres numerantur proprietates qualitatis, quarum prima est quod qualitas habeat contrarium; proprium enim est qualitatum invicem pugnare, seque mutuo de subjecto disturbare; sic calor expellit frigus, virtus vitium, morbus sanitatem. Secunda proprietas est suscipere magis et minus, scilicet intendi et remitti; attamen quaedam, ut figura, hanc proprietatem non habent. Tertia proprietas est fundare similitudinem et dissimilitudinem; quæ enim conveniunt in qualitate dicuntur similia; quæ vero non conveniunt, dissimilia.

Quantum ad coordinationem hujus prædicamenti, supremum genus est qualitas, quæ dividitur in quatuor species enumeratas, et explicatas. Prima species dividitur in habitum et dispositionem. Habitus alius est a Deo infusus, alius a nobis acquisitus.

Habitus a Deo infusus continet sub se Gratiam, Fidem, Spem, Charitatem, dona Spiritus sancti, lumen gloriæ, lumen propheticum, et alias supernaturales virtutes.

Habitus acquisitus alius est intellectua-

lis, alius moralis, seu in appetitu residens. Habitus intellectualis dividitur in intelligentiam, sapientiam, scientiam, prudentiam et artem. Habitus moralis dividitur in bonum et malum; bonus in varias virtutes, ut justitiam, temperantiam, fortitudinem, et alias ejusmodi virtutes sub istis contentas; malus dividitur in varia vitia, si tamen vitia sint annumeranda inter habitus: proprie enim videntur esse solum dispositiones, eo quod instabilibus principiis nitantur, scilicet passionibus et bonis fallacibus. Dispositio autem dividitur in corporalem et spirituales. Corporalis in operativam, et non operativam. Operativa continet sub se varias habilitates, ut saltandi, pingendi, scribendi, etc.; non operativa continet sub se pulchritudinem, difformitatem, sanitatem, morbos, etc. Dispositio spiritualis continet sub se opinionem, fidem humanam, suspensionem et alias qualitates facile mobiles.

Secunda species, scilicet potentia et impotentia dividitur in activam et resistitivam, seu in potentiam agendi et resistendi. Potentia activa dividitur in immanentem, id est, cujus opus remanet intra principium a quo producitur, et transeuntem, id est cujus opus transit ad extra. Potentia immanens dividitur in vegetativam, cognoscitivam, et appetitivam. Vegetativa subdividitur in generativam, nutritivam et augmentativam;

cognoscitiva vero in intellectum, et sensum; et appetitiva tandem in voluntatem, et appetitum sensitivum, de quibus exactius agitur in anthropologia. Potentia vero resistendi seu resistitiva continet sub se durum, molle, solidum, fragile, &c. Quidam repunt species intentionales (*vid. anthr.*) sub hac secunda specie, quia licet compleant potentias cognoscitivas, attamen eas determinant ad bene vel male operandum, quod est proprium primæ speciei qualitatis.

Tertia species, scilicet passio et patibilis qualitas, dividi potest in quinque sensibiles qualitates, scilicet colorem, odorem, sonum, saporem, et tangibiles qualitates, ut sunt frigus, calor, &c. Nam secundum ista quinque genera qualitatum fieri videtur alteratio, vel physica in corporibus, vel intentionalis in sensibus nostris. Hæ vero qualitates subdividuntur in varias alias, ut in varios colores, saponem, &c.

Quarta species, scilicet forma et figura, dividitur in planam et solidam. Figura plana dividitur in circulaem, triangulaem, quadrangulaem. Figura solida dividitur in sphericam, ovalem, cylindrum, cubum, &c. (18)

5 ET 6 DE ACTIONE ET PASSIONE.

Quintum et sextum prædicamentum sunt correlativa. Quæ ut innotescant sciendum est quod in quolibet effectu tria distinguuntur: 1.^o egressus effectus a causa; 2.^o receptio ejus in aliquo subjecto; 3.^o ipsum fieri talis effectus. V. g. statua egreditur per manum a mente opificis, recipitur in marmore et per aliquod tempus est in fieri. Egressus effectus a causa vocatur actio; receptio ejus in subjecto vocatur passio; fieri autem talis effectus vacatur motus. Primum constituit prædicamentum actionis: secundum prædicamentum passionis. Motus, ut dictum est, non constituit speciale prædicamentum quia fieri est aliquid incompletum quod reducitur ad esse. Unde motus, quum sit fieri effectus reducitur ad ejus prædicamentum; ut fieri qualitatis ad qualitatem, fieri quantitatis ad quantitatem. — Sciendum est adhuc quod ex actionibus aliae sunt transeuntes, aliae immanentes. Transiens dicitur quæ producit effectum ad extra in aliquo subjecto, ut urere, secare, dealbare, &c. Immanens dicitur ea quæ nihil producit ad extra, sed tota remanet in principio a quo elicitur, ut videre, cogitare, amare, &c.

Actio prædicamentalis definitur: motus ut ab agente; passio vero; motus ut in passo.

Quæ quidem formulae saepissime in S. Thomae operibus reperiuntur.

7 ET 8 DE PRÆDICAMENTIS UBI ET SITU.

Ubi in commune dividitur in ubi divinum, et ubi creatum. Ubi divinum est præsentia Dei in omni loco ratione immensitatis qua omnia implet. Ubi creatum dividitur in ubi spirituale, ubi sacramentale et ubi quantitativum seu circumscriptivum. Ubi spirituale est præsentia rei spiritualis ad corpora, quæ præsentia fit in angelis per operationem; in tantum enim angelus est in loco, in quantum operatur in illo, seu applicat ipsi suam virtutem activam. In anima vero rationali talis præsentia fit per informationem: nam in tantum anima est præsens corpori in quantum informat ipsum. Ubi sacramentale est præsentia unius substantiæ sub accidentibus alterius substantiæ quæ in primam conversa est. Ubi quantitativum seu circumscriptivum est modus quidam proveniens in corpore ex eo quod sit in loco.

Prædicamentum ubi definitur: accidens resultans in corpore ex circumscriptione loci ambientis; quæ definitio, ut patet, neque ubi divino, neque ubi angelico, neque ubi sacramentali convenit, sed tantum ubi cir-

cumscriptivo, quo solo constituitur hoc praedicamentum.

Praedicamentum situs definitur: accidens disponens partes in loco; *accidens*, per quod convenit cum aliis praedicamentis; *disponens partes in loco*, quia situatio nihil aliud est quam dispositio partium per ordinem ad locum, nam eadem res manens in eodem loco potest varie disponi, ut sedendo, stando, cubando, &c.

9 ET 10 DE PRÆDICAMENTIS QUANDO ET HABITU.

Praedicamentum quando est accidens resultans in rebus ex eo quod sint in tempore tanquam dependentes et mensurae ab illo. Haec sufficit definitio; in metaphysica quaestio temporis exponetur.

Praedicamentum habitus definitur: accidens resultans ex circumpositione vestium vel armorum. Ut enim notat S. Thomas (S. Theol. 1. 2. q. 49, art. 1) praedicamentum habitus non est ipsa vestis, aut ipsum corpus, sed aliquid resultans in corpore ex circumscriptione vestium quibus ornatur, aut armorum quibus munitur. (19)

§ 3. De Postpraedicamentis.

Postpraedicamenta dicuntur affectiones

quaedam seu proprietates consequentes ad praedicamenta, aut quae inter ipsa ad invicem comparata reperiuntur. Huiusmodi autem sunt quinque: oppositio, prioritas, simultas, motus et modus habendi.

1. Oppositio alia est rerum, alia propositionum. De secunda tractatur infra in parte sequenti; prima constituit hoc primum postpraedicamentum. Oppositio huiusmodi definitur: repugnantia rerum inter se; in rebus enim invenitur quaedam repugnantia ex cuius temperamento, mundi pulchritudo consurgit. Haec oppositio duas habet conditiones: prima est ut opposita sint distincta, nihil enim sibi ipsi opponitur; secunda, ut inter se dicant aliqualem repugnantiam, ita ut formaliter identificari non possint. Quadruplex est sic intellecta oppositio: relativa scilicet, contraria, privativa et contradictoria.

Oppositio relativa, omnium minima, est repugnantia, seu, ut aiunt, impossibilitas duorum extremorum orta ex respectu seu relatione quam inter se important. Et quidem si relatio fuerit mutua, oppositio etiam erit reciproca; si vero relatio sit in altero tantum extremo, oppositio relativa erit non mutua. Haec oppositio, ut docet S. Thomas, in Deum potest transferri quia non privat aliqua entitate, sed solum distinguit.

Sic Pater et Filius distinguuntur in divinis per oppositionem relativam.

Oppositio contraria est repugnantia duarum formarum absolutarum et positivarum quae sub eodem genere maxime distant, et ab eodem subjecto se mutuo expellunt, ut calor et frigus, virtus et vitium, albedo et nigredo, quae in eodem genere qualitatis continentur. In oppositis contrariis quaedam habent medium, ut inter frigidum et calidum mediat tepidum, ut inter album et nigrum mediat cinereum, quaedam vero non, ut nihil iustitiam inter et iniustitiam mediat.

Oppositio privativa est repugnantia inter formam et carentiam ejus in subjecto apto ad illam habendum, qualis est in homine oppositio inter visum et caecitatem. In omni enim quod non natum est habere visum, carentia visus non privatio sed negatio dicitur.

Oppositio contradictoria est repugnantia seu impossibilitas inter ens et non ens, ut cum dico: homo, non-homo; quae dicitur et est omnium maxima oppositio, quia inter opposita contradictoria non datur medium. Inter contraria enim, ut dictum est, quandoque medium reperitur, et inter privativa etiam datur commune subjectum, ut per se patet, dum inter opposita contradictoria nihil mediari potest, nam quodlibet est vel non est.

2. Prioritas octuplex est: 1.^o prioritas temporis secundum quam unum praecedit aliud duratione; 2.^o prioritas hujus quod, ut ait Aristoteles, non reciprocatur secundum existendi consecutionem; ut unum duobus est prius, nam, si duo sunt, statim sequitur unum esse; et econtra, si unum est, non sequitur duo esse. Prius autem videtur esse id a quo non reciprocatur existendi consecutio; 3.^o prioritas ordinis, ut exordium praecedit alias partes orationis; 4.^o prioritas dignitatis, ut rex praecedit principes; 5.^o prioritas naturae, ut essentia praecedit proprietates quae ab ipsa procedunt; 6.^o prioritas originis, qui modus tantum invenitur inter divinas personas; et non est prioritas *in quo*, quia non datur aliquod instans vel signum etiam naturae in quo una persona divina sit prior alia, sed dicitur prioritas *a quo*, quia una persona procedit ab alia; 7.^o prioritas generationis, ut puer praecedit virum; 8.^o prioritas perfectionis, ut vir puero est prior ordine perfectionis.

3. Simultas in eis reperitur qui sunt simul, et totidem modis dicitur quot prioritas, nam prius et posterius sunt contraria, et contrariorum ratio eadem est.

4. Motus dicitur via seu tendentia ad terminum cujus est fieri. Sex modi motuum numerantur: generatio, corruptio, motus localis, alteratio, augmentatio et diminutio.

5. Habere est modus secundum quem una res dicitur haberi ab alia. Quinque modi habendi numerantur: 1.^o per inhaerentiam, ut anima habet gratiam, voluntas charitatem, intellectus scientiam; 2.^o per continentiam, ut venae sanguinem et lagena vinum; 3.^o per possessionem, ut homo habet praedium; 4.^o per relationem, ut pater filium; 5.^o per juxta-positionem, ut Gallia habet oceanum ad occidentem. et ad meridiem mare mediterraneum. (20)

(17) Vide Goudin log. maj. p. 1. disp. 2. q. 4. per totum: et Roselli t. 1. q. 12. n. 2. *de Relatione*.

(18) Vide Goudin et Roselli locis citatis superiori adnot. et. q. 5. *de Qualitate*.

(19) Vide ut in superiore adnot. q. 6. *de sex aliis praedicamentis*. Goudin et Roselli.

(20) Vide ut supra q. 7. Goudin et Roselli q. 13. vide etiam Iacquier l. p. log. c. 2. a. 3. n. 2.

PROPOSITIONES SEU CONCLUSIONES AD SUPERIOREM SECTIONEM DE PRAEDICAMENTIS PERTINENTES.

I^a Deus non continetur sub praedicamento substantiae. S. Th. 1. p. q. 3. a. 5.

Goudin log. maj. p. 1. disp. 2. q. 2. a. 2.

2.^a Constitutivum essentiale quantitatis est extensio partium in ordine ad se. (Ita S. Thom. opusc. 41 et 4. *Contr. gent.* c. 65.)

3.^a Relatio praedicamentalis realiter distinguitur a suo fundamento. Ita S. Thom. loco ab auctore citato et l. dist. 4. q. 1. a. 1. ad 3. et pluribus locis.

4.^a Oppositionis divisio quadruplex ab auctore posita sufficiens est, et adaequata. Ita Roselli t. 1. q. 13. prop. I:

5. Habere est modus secundum quem una res dicitur haberi ab alia. Quinque modi habendi numerantur: 1.^o per inhaerentiam, ut anima habet gratiam, voluntas charitatem, intellectus scientiam; 2.^o per continentiam, ut venae sanguinem et lagena vinum; 3.^o per possessionem, ut homo habet praedium; 4.^o per relationem, ut pater filium; 5.^o per juxta-positionem, ut Gallia habet oceanum ad occidentem. et ad meridiem mare mediterraneum. (20)

(17) Vide Goudin log. maj. p. 1. disp. 2. q. 4. per totum: et Roselli t. 1. q. 12. n. 2. *de Relatione*.

(18) Vide Goudin et Roselli locis citatis superiori adnot. et. q. 5. *de Qualitate*.

(19) Vide ut in superiore adnot. q. 6. *de sex aliis praedicamentis*. Goudin et Roselli.

(20) Vide ut supra q. 7. Goudin et Roselli q. 13. vide etiam Iacquier l. p. log. c. 2. a. 3. n. 2.

PROPOSITIONES SEU CONCLUSIONES AD SUPERIOREM SECTIONEM DE PRAEDICAMENTIS PERTINENTES.

I^a Deus non continetur sub praedicamento substantiae. S. Th. 1. p. q. 3. a. 5.

Goudin log. maj. p. 1. disp. 2. q. 2. a. 2.

2.^a Constitutivum essentiale quantitatis est extensio partium in ordine ad se. (Ita S. Thom. opusc. 41 et 4. *Contr. gent.* c. 65.)

3.^a Relatio praedicamentalis realiter distinguitur a suo fundamento. Ita S. Thom. loco ab auctore citato et l. dist. 4. q. 1. a. 1. ad 3. et pluribus locis.

4.^a Oppositionis divisio quadruplex ab auctore posita sufficiens est, et adaequata. Ita Roselli t. 1. q. 13. prop. I:



—SECUNDA—

PARS LOGICAE.

DE PROPOSITIONE.

Absolutis quæ ad terminum, ad signum scilicet simplicis apprehensionis pertinent, nunc de propositione, quæ iudicium enuntiat, tractandum est. Circa illam tria quæruntur: 1.^o quid sit? 2.^o quotuplex sit? 3.^o quas habeat proprietates?

§ 1. *Quid sit propositio.*

Propositio, omnium signorum norma, in sua syntaxi sive in suis constitutivis et essentialibus conditionibus considerata, est ad imaginem idearum quas exhibet, quemadmodum ideæ sunt ad exemplar rerum quarum sunt notiones. Sub hoc respectu de propositione agemus in anthropologia, quum natura idearum et origo sermonis exponentur.

Propositio logicæ tantum spectata definitur: oratio enuntians unum de alio, vel ora-

tio susceptiva veri et falsi. Prima definitio est essentialis, nam essentia propositionis est quod unum de alio enuntiet; secunda vero est descriptiva, nam suscipere verum et falsum est proprietas propositionis consequens ex hoc quod enuntiat unum de alio. Tria in qualibet propositione vel explicite, vel implicite reperiuntur: 1.^o illud de quo aliud enuntiatur, et dicitur subjectum; 2.^o illud quod enuntiatur, et dicitur prædicatum seu attributum; 3.^o illud per quod subjectum et prædicatum connectuntur, et dicitur copula; ut: Deus est bonus.—Deus est subjectum; bonus attributum; est, copula.

Praeterea, sicut in composito naturali, de quo quæstio erit in præmio anthropologiae, ita quoque in propositione quatuor sunt: materia, forma, quantitas et qualitas. Materia propositionis sunt termini secundum respectum quem dicunt ad invicem, et est vel necessaria, vel contingens, vel possibilis, vel impossibilis, secundum quod relatio inter subjectum et attributum est necessaria aut contingens, aut possibilis aut impossibilis. Forma propositionis est enuntiatio unius termini de alio, et nihil aliud est quam copula, vel affirmativa simpliciter, vel præfixam habens particulam negativam, ut: Deus est bonus; Deus non est iniquus. Quantitas propositionis est extensio terminorum ejus ad pauciora vel plura. Qualitas tandem est

id quod ex enuntiatione sequitur, scilicet veritas et falsitas. (1).

§ 2. *Quotuplex sit propositio.*

Ut accurate dividatur propositio consideranda est: 1.^o in se et universaliter sumpta; 2.^o in sua materia, forma, quantitate, qualitate; 3.^o in modo secundum quem enuntiat unum de alio.

1. Propositio in se universaliter sumpta dividitur in categoricam seu simplicem, et hypotheticam seu compositam.

Categorica seu simplex est ea quæ constat prædicato et subjecto tanquam partibus, et verbo tanquam copula. Unde licet integra esset propositio ex parte unius extremi, si tamen uniatur cum alio extremo per modum prædicati vel subjecti, propositio erit simplex, ut ista: Plato docuit sola aeterna esse vera.

Hypothetica seu composita ea est quæ constat duabus vel pluribus simplicibus aliqua particula conjunctis, et quintuplex est: conditionalis, rationalis, causalis, copulativa et disjunctiva, quæ denominationes sumuntur a particulis unientibus. — Conditionalis unitur particula *si*, ut: si Adam non peccasset, homo mortem non incurreret. — Rationalis, per particulas *ergo*, *igitur*, ut: Petrus est justus, ergo est amicus Dei. — Cau-

salis, per particulam *quia*, ut: angeli sunt beati quia vident Deum. — Copulativa, per particulam *et*, ut: nemo potest servire Deo et servire mammonæ. — Disjunctiva, per particulas disjunctivas *vel*, *aut*, ut: omne corpus organicum vel est animal, vel planta.

2. Ratione materiæ propositio dividitur: 1.^o in necessariam, in qua prædicatum necessario convenit cum subjecto, ut: Deus est æternus; 2.^o in contingentem, in qua prædicatum accidentaliter convenit cum subjecto, scilicet ita ut possit non convenire, ut: homo est bonus; 3.^o in possibilem, in qua licet prædicatum non actualiter conveniat subjecto, potest tamen convenire, ut dum de pariete nondum albo dicitur: hic paries est albus; 4.^o in impossibilem, cujus prædicatum repugnat subjecto, ut homo est lapis.

Ratione formæ propositio dividitur: in componentem seu affirmativam, et dividentem seu negativam. Affirmativa enuntiat unum cum alio convenire, ut: Deus est amabilis; negativa vero enuntiat unum cum alio non convenire, ut: angelus non est corpus. Ubi obiter duo notanda sunt: 1.^o negationem esse naturæ suæ infinitantem, id est terminum, qui negatione afficitur, sumi secundum totam suam extensionem; 2.^o hanc propositionem solum negativam dici in qua negatio supra verbum cadit; unde ista est affirmativa: non homo est non ens. (2)

Ratione quantitatis propositio dividitur: 1.^o in universalem quæ afficitur signo universali, ut: omnis peccator recedit a Deo; 2.^o in particularem quæ afficitur signo particulari, ut: quidam homo est albus; 3.^o in singularem, quæ vel afficitur signo singulari, ut: hic homo est justus, vel est de nomine singulari, ut: Plato erat atheniensis; 4.^o in indefinitam, quæ nullo signo afficitur, et est (ratione materiae), seu universalis, quia necessaria, ut: circulus est rotundus; vel particularis, quia contingens, ut: homo est sapiens. — Notandum est quod in propositione universali affirmativa, praedicatum est semper, vi affirmationis, aliquod particulare; non enim affirmatur secundum totam suam extensionem. In negativa vero, sive universali, sive particulari, praedicatum est semper, vi negationis, aliquod universale, quia separatur a subjecto secundum totam suam extensionem. Vi autem materiae, si propositio universalis affirmativa est in materia necessaria, tunc praedicatum sumitur universaliter. In quolibet autem termino, distinguuntur extensio et comprehensio. Extensio est respectus termini ad omnia exteriora per ipsum significata; comprehensio est respectus termini ad conceptus quos includit. (3)

Ratione qualitatis propositio dividitur in veram et falsam. Vera enuntiat res sicuti

sunt, falsa, aliter ac sunt. Unde Aristoteles dixit: «Ex eo quod res est vel non est, propositio dicitur vera vel falsa.»

3. Ratione modi secundum quem propositio enuntiat unum de alio, dividitur in absolutam, modalem, exponibilem et exponentem.

Absoluta est ea quæ simpliciter enuntiat unum de alio, ut: David fuit pastor ovium. Hæc propositio vocatur etiam *de inesse* eo quod præcise dicat prædicatum inesse subjecto, vel non inesse.

Modalis est ea quæ exprimit modum quo prædicatum convenit subjecto, scilicet utrum necessario, vel contingenter, vel possibiliter, vel impossibiliter. Isti autem modi possunt dupliciter exprimi: nominaliter vel adverbialiter, ut dum dico: Petrus est contingenter albus, modus adverbialiter exprimitur; si vero dicam: Petrum esse album est contingens, modus exprimitur nominaliter. Modalis in qua modus nominaliter exprimitur, dicitur modalis composita, ut ista: parietem album esse nigrum est possibile; si vero modus exprimitur adverbialiter, propositio dicitur modalis divisa, ut: paries niger est possibiliter albus. Ratio hujus denominationis est eo quod prima faciat sensum compositum, id est uniat prædicatum cum materiali subjecti retento etiam formali; secunda vero facit sensum divisum, id est,

unit prædicatum cum materiali subjecti secluso formali, unde, cum dico: album est possibiliter nigrum, sensus est quod subjectum albedinis, seclusa albedine, possit recipere nigredinem; at dum dico: album esse nigrum est possibile, sensus est quod subjectum habens albedinem, possit simul recipere nigredinem, albedine retenta. Cæterum licet res ita se habeat rigore logico, attamen claritatis gratia istæ propositionis distinguendæ sunt, et dum dicitur: album est possibiliter nigrum, vel: possibile est album esse nigrum, sic distinguendum est: in sensu composito, id est componendo albedinem cum nigredine, nego; in sensu diviso, id est seclusa albedine, concedo.

Propositio exponibilis est ea quæ propter aliquam dictionem sensum reddit obscurum, ideoque indiget explicari per aliam clariorem quæ ideo vocatur exponens. Propositiones autem illæ exponibiles sunt præcipue tres: exclusiva, exceptiva et reduplicativa.

Exclusiva afficitur particula excludente, ut: *dumtaxat, tantum, solum*; v. g.: homo tantum est rationalis: quæ sic exponitur: homo est rationalis, et nihil aliud ab homine est rationale. Vel particula cadit supra subjectum, et tunc omnia alia subjecta excluduntur; vel supra attributum, et tunc omnia alia attributa sunt exclusa.

Exceptiva afficitur particulis exceptivis,

quales sunt: *praeter, extra*: ut omne animal præter hominem est irrationale; cuius expositio patet.

Reduplicativa afficitur particulis reduplicantibus, quales sunt: *in quantum, quatenus, formaliter ut, secundum quod, reduplicative ut, ut sic*. Hæc autem propositio dicitur reduplicativa, eo quod subjectum quasi reduplicatur, ut dum dico: homo, in quantum homo, est rationalis. Haec omnia facilia sunt: solum notandum est hanc distinctionem in schola frequentem esse: *reduplicative* et *specificative*. Prædicatum convenit reduplicative subjecto, quando subjectum est ratio formalis hujus convenientiæ; si vero subjectum non sit talis ratio, prædicatum dicitur convenire specificative. Ut si quis dicat: Æthiops est niger in quantum homo, distinguendum est sic: reduplicative, ita ut sit niger quia homo, nego; specificative, ita ut ille qui est homo sit etiam niger, concedo. (4)

§ 3. De proprietatibus propositionis.

Tres sunt proprietates propositionis: oppositio, æquipollentia et conversio; quæ quidem proprietates sunt mere logicales.

1. Oppositio, quæ accurate distinguenda est ab oppositione de qua agit supra in postprædicamentis, definitur: affirmatio et

negatio ejusdem de eodem, seu repugnantia inter duas propositiones eodem praedicato et subjecto constantes. Unde duae conditiones requiruntur ad oppositionem: prima, ut utraque propositio sit ejusdem praedicati et ejusdem subjecti; secunda, ut una propositio sit affirmativa et altera negativa.

Oppositio est triplex: contradictoria, contraria et subcontraria.

Contradictoria est repugnantia inter duas propositiones quarum una est universalis et altera particularis, vel utraque singularis; una affirmativa, altera negativa, ut: omnis homo disputat, aliquis homo non disputat; Petrus est justus, Petrus non est justus. Regula pro his contradictoriis est quod nunquam possunt esse simul verae, nec simul falsae; alias idem esset simul et non esset, quod est impossibile.

Contraria est repugnantia inter duas propositiones universales quarum una est affirmativa et altera negativa, ut: omnis homo est justus, nullus homo est justus. Regula pro contrariis est quod nunquam possunt esse simul verae, bene tamen simul falsae; non simul verae, nam tunc, ut patet, idem esset simul et non esset; sed simul falsae, quia quum una excedat aliam, plus quam necesse est negando, dari potest media ex veritate cujus sequatur falsitas oppositarum; ut inter istas: omnis homo est justus, nullus

homo est justus, medianur istae particulares verae: aliquis homo est justus, aliquis homo non est justus.

Subcontraria est repugnantia inter duas propositiones particulares, quarum una affirmat et altera negat, ut in exemplo mox allato. Pro istis regula est quod nunquam possunt esse simul falsae, bene tamen simul verae. Ratio est quia si subcontrariae essent simul falsae, contrariae sub quibus continentur essent simul verae, quod impossibile ostensum est.

Quidam addunt quartum genus oppositionis, quam vocant subalternam, et est inter duas affirmativas, seu negativas quarum una est universalis et alia particularis, ut: omnis homo loquitur, aliquis homo loquitur; sed ista non est proprie oppositio, quia non est secundum affirmationem et negationem.

2. *Equipollentia*, ut vox dicitur, est eadem vis, idemque sensus duarum propositionum ex aequivalentia signorum proveniens. Unde sicut quaelibet propositio habet aliquam sibi oppositam, ita et equipollentem. Si enim additur particula negativa, propositio fit aequivalens suae oppositae, ut in istis: omnis homo est justus, aliquis homo non est justus, si priori praeponatur negatio fit aequivalens suae contradictoriae, ut: non omnis homo est justus.

Pro ejusmodi aequipollentiis tres traduntur regulae, hoc versiculo conclusae.

Prae contradic, post contra, prae postque subalter.

Id est: si vis reddere propositiones aequipollentes, negationem praepone contradictoriis, postpone contrariis, praepone et postpone subalternis.

Oppositio propositionum sic solet in schola figurari.

Omnis homo est *contrariae* Nullus homo est justus.



Aliquis homo *subcontrariae* Aliquis homo non est justus. est justus. (5)

3. Conversio definitur: inversio propositionis, ita ut servata veritate, ex praedicato fiat subjectum et ex subjecto praedicatum, ut: aliquis homo est niger, aliquod nigrum

est homo. Propositiones autem convertendae possunt esse in quadruplici differentia; nam aliquae sunt universales affirmativae, ut: omnis homo est justus; quaedam sunt universales negativae, ut: nullus homo est justus; quaedam particulares affirmativae, ut: aliquis homo est justus; quaedam particulares negativae, ut: aliquis homo non est justus. Quaelibet suo modo convertitur.

Triplex est conversio: simplex, per accidens et per contrapositionem. Conversio simplex est mutatio praedicati in subjectum, servata quantitate, ut: aliquis justus est homo, aliquis homo est justus. Conversio per accidens est mutatio praedicati in subjectum, variata quantitate, ita ut ex universali propositio fiat particularis, ut: omnis homo est animal, aliquod animal est homo. Conversio per contrapositionem est mutatio praedicati in subjectum, mutatis terminis finitis in infinitos (terminus autem, ut dictum est supra, infinitus per particulam negativam efficitur), ut: omnis homo est animal, omne non animal est non homo.

Regulae pro conversionibus sunt tres: prima est: propositio universalis negativa et particularis affirmativa convertuntur simpliciter, ut: nullus homo est angelus, nullus angelus est homo. Aliquis homo est justus, aliquis justus est homo.—Secunda est: propositio universalis affirmativa convertitur

per accidens, ut: omnis homo est animal, aliquod animal est homo. Universalis negativa potest etiam isto modo converti, ut: nullus homo est lapis, aliquis lapis non est homo.—Tertia est: particularis negativa convertitur per contrapositionem, ut: aliquis homo non est justus, aliquis non justus non est non homo. Universalis affirmativa etiam isto modo converti potest, ut: omnis homo est animal, omne non animal est non homo.

Ut istae regulae facilius memoria tenerentur, sequentibus versiculis in schola tritis, comprehensae sunt:

Feci simpliciter convertitur, eva per accid.
Asto per contrap., sic fit conversio tota.

In his versiculis notandum est quatuor vocales significare quadruplicem differentiam propositionum quae provenit ab earum forma et quantitate. *A* significat universalem affirmativam; *e*, universalem negativam; *i*, particularem affirmativam; *o*, particularem negativam, juxta istos versus:

Asserit *a*, negat *e*, verum generaliter ambo;
 Asserit *i*, negat *o*, sed particulariter ambo.

De conversione propositionum modalium variae et intricatissimae fuse traduntur regulae quae dederunt occasionem huic adagio:

«De modalibus non gustabit asinus.» Hae nugae difficiles nullius fere sunt momenti, et feliciter omittentur. Notandum tamen est quod conversio propositionum suum momentum habet; plurimum enim inservit ad reductionem syllogismi de modo imperfecto ad modum perfectum, ut infra ostendetur.

Apud quosdam scholasticos tractatus de propositionibus duas adhuc amplectitur quaestiones, quarum prior versatur circa propositionem mentalem ad determinandum utrum sit unus simplex conceptus et una simplex qualitas, necne; posterior vero perpendit hanc difficultatem famosam: utrum propositiones contradictoriae de futuro contingenti sint determinate verae aut falsae? Prior pertinet ad anthropologiam; posterior vero ad anthropologiam et ad metaphysicam, nam implicatur in concordia liberi arbitrii humani et providentiae Dei. Utraque in suo loco exopnetur. (6)

(1.) Vide Goudin log. min. p. 2. a. 1. Rosselli a. cap. 1. usque ad 8. et Iacquier p. 2. log. c. 1.

(2.) Claritatis gratia; tribus modis negatio potest afficere: primo totam propositionem, secundo copulam, tertio aliquem terminum. Verbi gratia, primo modo: Non omnis homo est medicus: 2. m^o.: Nullus homo est brutus, id est: omnis homo non est

brutus. 3. m^o: Deus praecipit non furari. Quae quidem bene notanda sunt ad tollendam omnem equivocationem; nam 1a. prop. est negativa, sed particularis; 2a. est etiam negativa, sed universalis; 3a. non est negativa, sed affirmativa. Vide S. Th. 1. Perh. lec. 10. et S. Aug. 1. 6. de civ. Dei c. 4.

(3.) Vide S. Thom. loco sup. adnotatione citato.

[4.] Vide Goudin log. min. p. 2, a. 2. per totum.

[5] Vide Goudin log. min. p. 2. a. 3, § 1. et 2. et Iacqvier p. 2. log. c. 2. a. 2. et 3.

[6] Vide Goudin loco super. a. 3. § 3. et Iacqvier. loc. cit. a. 3. et Lossada inferius cit. c. 4. per totum pag. mihi 142.

PROPOSITIONES SEU CONCLUSIONES AD 2^a SUPERIOREM PARTEM SPECTANTES.

- 1^a Duae propositiones contrariae non possunt esse simul verae; possunt tamen esse simul falsae. Ita Goudin et Iacqvier loc. cit.
- 2^a Duae propositiones contradictoriae nunquam possunt esse simul verae aut simul falsae; vi tamen contradictionis neutra est definite vera aut definite falsa.

Vide Iacqvier, et Goudin loc. cit. et Rosselli: q. 26.

- 3^a Propositiones subcontrariae nunquam possunt esse simul falsae; bene tamen simul verae.

Additio: sunt aliae propositiones quae *semel falsificantes* a logicis appellantur, aut inextricabiles aut insolubiles vocari solent, in quibus ita complicatur cum falsitate veritas, ut appareant verae, quia falsae; et falsae, quia verae; consequenterque sibimetipsis contradicant. De quibus quadruplex numeratur species: 1^a *falsificantes*. 2^a *impossibilitantes*. 3^a *suam necessitatem destruentes*. 4^a *Suam contingentiam destruentes*, a dialecticis appellari solent. De his omnibus agit Lossada instit. Dialect. de e-nunt. disp. 7. c. 3.º n. 19 usque ad 26 pag. mihi 139.

ARTICULUS ADDITIONALIS

AD 2^a PARTEM.

DE DISCERNENDA VERITATE QUARUMCUMQUE

PROPOSITIONUM.

Veritas propositionum in eo consistit quod praedicatum in affirmativis conveniat; in negativis autem repugnet aut saltem non conveniat subjecto: quod quidem facile dignoscitur in simplicibus propositionibus; non ita, in compositis: de his igitur solummodo agemus.

Propositiones compositae appellantur quae ex uno subjecto pluribusque praedicatis, vel ex uno praedicato pluribusque subjectis, aut denique ex pluribus subjectis pluribusque praedicatis simul coalescunt: tales sunt quae a logicis dicuntur *copulativa*, *disjunctiva*, *discreta*, *causalis*, *reduplicativa*, *hypothetica*, (saltem aliquando) *exclusiva*, *exceptiva*, *comparativa*, *inceptiva*, et *desitiva*: ex quibus sex primae explicite compositae, et quinque ultimae implicite, seu exponibiles appellantur.

Regulae generales ad talium propositionum discernendam veritatem hae sunt: 1^a Reducatur quaelibet propositio composita ad tot simplices, quot sunt in illa subjecta

et praedicata; et tunc ut simplices qualeficerentur. 2^a attendatur natura uniuscujusque propositionis et ex ejus scopo et fine deducatur illius veritas vel falsitas: his positis singula percurramus.

Copulativa ad veritatem requirit ut singulis subjectis tribui possit idem praedicatum vel eidem subjecto singula praedicata in affirmativis; et econtra in negativis: v. g. *homines et jumenta salvabit Deus: Deus nec est mutabilis, nec finitus. Disjunctiva* requirit ut non detur medium: v. g. *aut dies est, aut nox. Discreta*, quae diversa judicia exprimit distincta particulis, *sed, tamen*, aut similibus, praeter veritatem simplicium propositionum in quas resolvitur, requirit quod aliquo modo opponantur aut saltem adversentur: v. g. *veritas fatigari potest, non tamen vinci: Romani exercitus disciplina, non autem numero militum vincebant. Causalis* requirit quod unum ex alio consequatur: v. g. *Vae vobis divitibus quia mercedem vestram accepistis! Reduplicativa* generaliter requirit quod sit in vi praedicati, nisi aliter exprimatur: v. g. *Christus ut homo mortuus est. Hypothetica* requirit quod purificata conditione veritas appareat: v. g. *si Deus existit, mundus providentia regitur.*—*Exclusiva* resolvitur in duas, affirmativa una, negativa altera, et requirit quod praedicatum soli subjecto, exclusis omnibus aliis, conveniat:

v. g. *ego sum Deus, et non est praeter me: sola virtus est vera nobilitas.*—*Exceptiva* requirit quod tam affirmativa quam negativa, quae sub ipsa includuntur, verae sint; et praeterea quod una sit exceptio alterius: v. g. *omnes, nisi poenitentiam egeritis, similiter peribitis.*—*Comparativa* requirit quod praeter veritatem absolutam propositionum simplicium quas includit, detur relatio comparationis inter terminos: v. g. *si quaeris magnitudinem, major est (Deus); si pulchritudinem, pulchrior; si dulcedinem, dulcior.*—*Inceptiva* in qua aliquid incipere; et *desitiva* in qua aliquid desinere dicitur, requirunt quod praeter veritatem simplicium propositionum sub ipsis contentarum, verum tempus tum inceptionis, tum terminationis designetur: nam in his propositionibus duo continentur iudicia, quorum unum refertur ad statum in quo res erat antequam inciperet, aut desineret; alterum ad eum statum in quo est v. g. *Enos coepit invocare nomen Domini. Lingua latina a Tiberii principatu corrumpti coepit.* Haec modo sufficiant.



—TERTIA—

PARS LOGICAE.

DE ARGUMENTATIONE.

Argumentationis munus est tertiam operationem mentis, discursum scilicet, exhibere, et definitur: oratio in qua unum ex alio infertur. Veritates enim sicut et res sunt invicem connexae. Unde una data sequitur alia; ut, dato quod aliquid respiret, sequitur habere pulmones. Et quidem si talis illatio fiat per particulam *si*, erit argumentatio conditionalis; ut ista ex Evangelio: si feceritis ea quae praecipio vobis, amici mei eritis. Si autem illatio fiat per particulam *quia*, erit causalis, ut ista: Deus est summe amabilis quia est summe bonus. Si vero illatio fiat per particulam *ergo*, erit argumentatio rationalis quae est omnium praecipua, et de qua solum hic agemus, quia caeterae ad illam reducuntur.

Intellectus noster, ut dictum est in prolegomnis, dupliciter se movet ad cognitionem

v. g. *ego sum Deus, et non est praeter me: sola virtus est vera nobilitas.*—*Exceptiva* requirit quod tam affirmativa quam negativa, quae sub ipsa includuntur, verae sint; et praeterea quod una sit exceptio alterius: v. g. *omnes, nisi poenitentiam egeritis, similiter peribitis.*—*Comparativa* requirit quod praeter veritatem absolutam propositionum simplicium quas includit, detur relatio comparationis inter terminos: v. g. *si quaeris magnitudinem, major est (Deus); si pulchritudinem, pulchrior; si dulcedinem, dulcior.*—*Inceptiva* in qua aliquid incipere; et *desitiva* in qua aliquid desinere dicitur, requirunt quod praeter veritatem simplicium propositionum sub ipsis contentarum, verum tempus tum inceptionis, tum terminationis designetur: nam in his propositionibus duo continentur iudicia, quorum unum refertur ad statum in quo res erat antequam inciperet, aut desineret; alterum ad eum statum in quo est v. g. *Enos coepit invocare nomen Domini. Lingua latina a Tiberii principatu corrumpti coepit.* Haec modo sufficiant.



—TERTIA—

PARS LOGICAE.

DE ARGUMENTATIONE.

Argumentationis munus est tertiam operationem mentis, discursum scilicet, exhibere, et definitur: oratio in qua unum ex alio infertur. Veritates enim sicut et res sunt invicem connexae. Unde una data sequitur alia; ut, dato quod aliquid respiret, sequitur habere pulmones. Et quidem si talis illatio fiat per particulam *si*, erit argumentatio conditionalis; ut ista ex Evangelio: si feceritis ea quae praecipio vobis, amici mei eritis. Si autem illatio fiat per particulam *quia*, erit causalis, ut ista: Deus est summe amabilis quia est summe bonus. Si vero illatio fiat per particulam *ergo*, erit argumentatio rationalis quae est omnium praecipua, et de qua solum hic agemus, quia caeterae ad illam reducuntur.

Intellectus noster, ut dictum est in prolegomnis, dupliciter se movet ad cognitionem

acquirendam: per modum scilicet deductionis, quum de universali ad particulare, quod in eo continetur, descendit; per modum vero inductionis, quum de particulari ascendit ad universale illud continens. Genus igitur argumentationis in duas species tantum dividitur, quarum una est deductio, seu syllogismus, altera vero inductio. Et quia tota vis inductionis in eo consistit quod universale inveniat ad quod particulare datum se habeat tanquam consequentia ad suum principium, nihil aliud est quam syllogismus inversus et reducitur, sive ad syllogismum demonstrativum, quum fit in materia necessaria, sive ad syllogismum probabilem, quum fit in materia contingente, ut infra ostendetur. Omnis igitur argumentatio rationem syllogismi participat, de quo sit. (1)

DE SYLLOGISMO IN GENERALE.

Syllogismus est argumentatio in qua ex antecedente uniente duo extrema cum medio aliquo, infertur consequens uniens illa inter se; ut: omne bonum est amandum: sed virtus est bona; ergo virtus est amanda. In huiusmodi enim argumentatione, consequens quod est «virtus est amanda,» infertur ex antecedente «omne bonum est amandum, virtus est bona,» in quo duo extrema, scilicet «amandum» et «virtus», uniantur

cum medio quod est «bonum.» Ex hoc patet definitio syllogismi ab Aristotele tradita, quae ita se habet: syllogismus est oratio in qua, quibusdam positis et concessis; necesse est aliud evenire; quae tamen definitio convenit tantum praecise syllogismo demonstrativo. (2)

Syllogismus est compositum rationis quod, perinde ac omne compositum naturale, habet materiam et formam. Materia syllogismi est proxima vel remota. Propositiones quibus conficitur sunt ejus materia proxima; termini autem, qui sunt materia proxima propositionum, sunt materia remota syllogismi. Forma vero syllogismi est dispositio materiae tum remotae tum proximae, et ideo duplex est: figura syllogistica, quae est dispositio terminorum extremorum respectu medii termini; modus syllogisticus, qui est dispositio propositionum juxta universalitem, particularitem, affirmationem et negationem illarum.

Quadrupliciter considerari potest syllogismus: 1.^o in suis partibus constitutivis secundum quas vel est perfectus vel imperfectus, et habet suae constitutionis regulas; 2.^o in variis relationibus terminorum inter se, et quoque propositionum inter se, scilicet in suis figuris et modis; 3.^o in effectu cuius est causa, scilicet: in vi conclusionis ju-

xta quam syllogismus dicitur domostrativus seu apodicticus, probabilis seu tropicus, et sophisticus; 4°. in medio a quo pendet tota ars syllogistica. In novem igitur paragraphis absolventur omnia quae ad syllogismum pertinet: in primo agemus de syllogismo perfecto; in secundo, de imperfecto, in tertio, de ejus regulis; in quarto, de figuris syllogismi; in quinto, de ejus modis; in sexto de syllogismo demonstrativo; in septimo, de probabili; in octavo, de sophistico; in nono, de inventionem modii. (3)

§ 1. *De syllogismo perfecto.*

Syllogismus perfectus ille est qui suas partes habet omnes et in ordine requisito dispositas. Omnis ars syllogistica in eo consistit quod duo termini uniantur inter se in conclusione, quia prius uniti fuerunt cum tertio termino in praemissis; ergo debent solum esse in syllogismo tres termini et tres propositiones, in quarum prima unus terminus uniatur cum medio; in secunda, alter uniatur cum eodem medio seu tertio termino; in tertia, duo illi termini uniantur inter se. Horum autem terminorum vocabula haec sunt: praedicatum conclusionis dicitur «majus extremum,» eo quod praedicatum sit latius patens quam subjectum; subjectum ve-

ro conclusionis dicitur «minus extremum,» propter rationem oppositam; terminus autem cum quo uniuntur in praemissis dicitur «medium,» quia inter illos mediat tanquam utrique per comparisonem relatus. Prima propositio in qua majus extremum unitur cum medio, vocatur, «major,» secunda in qua minus extremum unitur cum medio, vocatur «minor,» tertia, quae unit inter se duo extrema, vocatur «conclusio,» Major et minor simul sumptae, vocantur «praemissae,» quia conclusioni praemittuntur; eadem ratione dicuntur etiam «antecedens» et conclusio «consequens,» Particula vero rationalis «ergo» qua consequens unitur cum antecedente dicitur «consequentia,» Sit in exemplum sequens syllogismus in quo haec omnia patent.

Omne vitium est fugiendum;

Atqui mendacium est vitium;

Ergo mendacium est fugiendum.

Principia quibus nititur syllogismus perfectus sunt, pro syllogismis affirmativis: «quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se,» et, pro syllogismis negativis: «quorum unum est idem uni tertio, et aliud non est idem, non sunt eadem inter se,» Quae quidem sic brevius in schola exprimuntur; prius: «dici de omni,» posterius; «dici de nullo,» Id est, quidquid dicitur universaliter de aliquo subjecto, dicitur de omnibus.

quae sub ipso continentur; quidquid vero universaliter negatur de aliquo subjecto, negatur de quolibet in eo contento. (4)

Syllogismus perfectus, juxta usum recentiorum, distinguitur in simplicem, complexum et compositum. Haec distinctio non reperitur apud scholasticos, et haud immerito; propositiones enim sunt simplices, complexae aut compositae, syllogismus vero non. Prosyllogismus tantum ejus nulla fit mentio in schola ante saeculum decimum sextum, pro composito habendus est, nam constat duobus syllogismis ita dispositis, ut prioris conclusio sit una ex praemissis posterioris, ut: «Quod non habet partes perire nequit dissolutione partium; atqui substantia spiritualis perire nequit dissolutione partium; porro mens humana est substantia spiritualis; ergo mens humana perire nequit dissolutione partium.» Syllogismus dicitur complexus, quum ejus conclusio est propositio complexa. Syllogismus dicitur compositus, quum major ejus propositio est composita et triplex est: condicionalis, disjunctivus et copulativus.

Conditioalis sic se habet: «Si Deus est justus, punit peccatores; atqui Deus est justus; ergo punit peccatores.» Hujus syllogismi duplex est regula istis axiomatibus clare expressa, prior: «Posito antecedente, ponitur consequens,» aut «verum prius, er-

go et posterius;»—posterior: «Sublato consequente tollitur antecedens,» aut falsum consequens, ergo et antecedens.»

Disjunctivus est ille ejus major propositio est disjunctiva, ut: «vel coercendae sunt cupiditates, vel eis serviendum est; atqui coerceri cupiditates jubet recta ratio; ergo non eis serviendum est. Ad syllogismum disjunctivum pertinet «dilemma» quod inter alias species argumentationis præter syllogismum, falso a quibusdam adscribitur, et vulgo dicitur cornutum seu utrinque feriens, quia pars illius quaelibet adversarium revincit. Homines esse miseros, in praesenti vita, probatur hoc dilemmate: «Quisquis hanc vitam degit, vel servit cupiditatibus, vel cupiditatibus resistit. Si resistit, miser est; vim enim sibi perpetuam infert: si servit, miser est; eas enim explere nequit; ergo quisquis hanc vitam degit, miser est.» Saepe falsum est hoc argumentum, quia major componitur duabus propositionibus contrariis quae frequenter medium admittunt et exinde falsae perhibentur.

Syllogismus copulativus ille est ejus major est propositio copulativa, ut: «nemo potest servire Deo et mammonae; atqui avarus servit mammonae; ergo non servit Deo.»

Haec distinctiones ad propositiones potius quam ad syllogismum referendae sunt; unde

fit quod de talibus syllogismis apud approbatissimos scholasticos nulla est quaestio.

Inter syllogismos compositos recensendum est pariter epicherema, si a simplici et perfecto syllogismo, ut quidam incaute asserunt, distinguendum est. Hoc autem particulare habet epicherema quod alterutri vel utrique praemissarum sua adjungatur probatio, ut: «qui multis curis angitur, non est beatus; ad beatitudinem enim requiritur animi tranquillitas: atqui homo qui cupiditatibus indulget, multis curis angitur, sive propter conscientiae stimulos, sive quia eis quae concupiscit non fruitur; ergo qui cupiditatibus indulget, non est beatus.»

§ 2. De syllogismis imperfectis.

Species syllogismi imperfecti triplex est: enthymema, inductio et exemplum.

Enthymema est syllogismus truncatus; fit enim quando altera praemissarum reticetur aut subintelligitur brevitatis gratia; ut: «peccatum Deo displicet; ergo est fugiendum;» ubi subauditur major: «omne quod displicet Deo est fugiendum.»

Inductio, ut diximus, est inversio syllogismi perfecti, nam a particulari ad universale ascendit, et duplex est; comparativa seu collectiva, et absoluta.

Prior locum habet in materia contingenti,

ut quum, experientia duce, ex multis singularibus aliquid generale concluditur; talis est sequens, aurum est liquabile, argentum est liquabile, cuprum est liquabile, stannum est liquabile, plumbum est liquabile: ergo omne metallum est liquabile.» Ut valeat hujusmodi inductio, oportet ut singularem enumerationem integram sit, et tunc etiam principium ad quod ulterius pervenit est aliquid particulare, nam nihil aliud est, ut ita dicam, quam summa quorundam singularium numero determinata. Universale vero proprie dictum omnia ejusdem naturae, tam existentia quam possibilia continet.

Posterior, scilicet inductio absoluta, fit in materia necessaria, in quo quidem casu, ex unico singulari legitime per inductionem concluditur aliquid universale; ut quum natura hujus vel illius circuli perspecta est, intellectus immediate se assurgit ad hoc principium universale: «omnis circulus est rotundus;» principium quod experientia invenire nequit, nec proinde inductio comparativa efficere valet; impossibile est enim quod omnes circuli sub experientia cadant, nam in infinitum variari possunt respectu magnitudinis. Ergo inductio experimentalis et comparativa non particulare transcendit, et reducitur ad syllogismum probabilem; inductio vero rationalis et absoluta ab una consequentia necessaria ad universale prin-

cipium secure pervenit, et ad syllogismum demonstrativum reducitur. Quae quidem quaestio ad anthropologiam proprie pertinet, et convenientius tractabitur quam cognitionis humanae leges exponentur. (5)

Exemplum est argumentatio in qua ex antecedente unum vel pauca singularia adducendo, infertur aliquid dumtaxat singulare, ut si dicas; «Deus pepercit Davidi, Magdalenae et Petro poenitentibus; ergo parceret et tibi poenitentiam agenti.» Exemplum triplex est: *a pari*, ut in praecedenti; *a fortiori*, ut: «infideles virtutem colunt; ergo a fortiori christiani eam colere debent.» *A contrario*, ut: «vitium est mors animae; ergo a contrario virtus est animae vita.» Exemplum est inductio imperfecta, ut enthymema est syllogismus imperfectus. Ubi notandum est quod hoc genus argumenti urget praecipue in moralibus, nam exempla trahunt. (6)

Est adhuc species argumenti a Chysippo stoico inventa quae dicitur sorites seu acervus, et plerumque sophistica est. Sorites est gradatio pluribus constans propositionibus ita inter se concatenatis, ut attributum primae fiat subjectum secundae, attributum secundae subjectum tertiae, et sic deinceps donec subjectum primae jungatur cum attributo ultimae in conclusione, ut: «avari multa desiderant; qui multa desiderant mul-

tis indigent; qui multis indigent, sunt miseri; ergo avari sunt miseri.» Sorites ad inductionem reducitur; nam ut probetur consequens positum, v. g. quod avari sunt miseri, gradatim quaeritur per inductionem principium antecedens, scilicet «qui multis indigent sunt miseri.» (7)

§ 3. De regulis syllogismi.

Syllogismi perfecti, ad quem imperfectus reducendus est, plures vel pauciores regulae ponuntur: tres pro argumentatione in communi; octo pro syllogismo in suis figuris et modis distributo; una tantum a recentioribus.

Tres regulae pro argumentatione in communi sic se habent; prima est: «ex vero nunquam sequitur falsum;—secunda: «ex falso non potest per se sequi verum, bene tamen per accidens.» Utriusque regulae ratio est quia quae sunt eadem uni tertio, necesse est ut sint eadem inter se; unde si duae praemissae sunt verae, consequens nunquam erit falsum. Attamen ea quae sunt eadem inter se non oportet ut sint eadem omni cuicumque tertio; unde licet falsum sit duo extrema conclusionis esse eadem uni tertio, poterunt tamen accidentaliter esse eadem inter se, ut: «omnis lapis cogitat; atqui omnis homo est lapis; ergo omnis homo cogitat.»—Tertia regula est conclusionem debere sem-

per debiliorem partem sequi, quod eadem est ac ultima sequentium. (8)

Octo regulæ pro syllogismo in suis modis et figuris distributo, his versibus comprehenduntur:

Terminus esto triplex, major, mediusque minorque.
 Latius hunc quam præmissæ conclusio non vult.
 Aut semel aut iterum medius generaliter esto.
 Nunquam contineat medium conclusio fas est.
 Utraque si præmissa neget, nihil inde sequetur.
 Ambae affirmantes nequeunt generare negantem.
 Nihil sequitur geminis ex particularibus unquam.
 Pejorem sequitur semper conclusio partem. (9)

Hæ regulæ nihil aliud suo modo expriment quam quod supra dictum est de partibus et de principiis syllogismi. Prima patet. Secunda, vult nullum terminum amplius sumi in conclusione quam in præmissis; id est majus extremum et minus extremum in conclusione secundum eandem mensuram uniri qua unita sunt in præmis-

sis. Tertia in primam recidit; nam quum medium bis particulariter sumitur, duplex est, et tunc syllogismus quatuor habet terminos. Quarta redundat, nam quum definita sit conclusio, propositio cujus majus extremum est prædicatum et minus extremum subjectum, inutile est dicere quod in ea medium includere sit nefas. Quinta significat quod si neutro extremo convenit medium, syllogismus est impossibilis; tunc enim non existit medium, et contra primam regulam peccatur. Sexta explicatur per principium syllogismi affirmativi. Septima in tertiam et in primam recidit; nam quum ambæ præmissæ sunt particulares, tunc medium bis particulariter sumitur, et in syllogismo quatuor sunt termini. Octava vult pejorem, id est debiliorem partem præmissarum, quæ est vel propositio particularis, vel propositio negativa, conclusionem vel particularem vel negativam efficere; quantum ad particularitatem octava recidit in secundam, et quantum ad negationem, explicatur per principium syllogismi negativi.— Ex istis regulis prima, secunda, tertia et quinta inserviunt ad discernendum inter modos syllogismi, utiles ab inutilibus (vide infra.)

Unica regula recentiorum hæc est: «major propositio conclusionem contineat, et minor id declaret;» quæ quidem summam

exprimit principia et naturam syllogismi, sed minime sufficit ad artem syllogisticam, quam potius penitus tollit. (10)

§ 4. De figuris syllogismi.

Figura syllogistica, ut dictum est consistit in dispositione extremorum cum medio secundum praedicationem et subjectionem; quae quidem combinatio quadrupliciter fieri potest. Quadruplex igitur figura est possibilis. Prima est ea in qua medium subjicitur majori extremo et de minore praedicatur, secunda, in qua medium praedicatur de utroque extremo; tertia, in qua utrique subjicitur; quarta, in qua medium praedicatur de majore extremo et minori subjicitur; quod exemplis ostendendum est.

Prima figura: «omne bonum est amabile: sed virtus est bona; ergo virtus est amabilis.» In isto syllogismo *Tó* bonum, quod est medium, subjicitur in majore et praedicatur in minore.

Secunda figura: «omne bonum est Deo gratum; sed avaritia non est Deo grata; ergo avaritia non est bona.» Medium, quod est «Deo gratum,» praedicatur tum in majore, tum in minore.

Tertia figura: «omnis homo est animal; sed omnis homo est rationalis; ergo aliquod animal est rationale.» Medium quod est *Tó*

homo, subjicitur tam in majore quam in minore.

Quarta figura: «omnis homo est animal; sed omne animal est sensibile; ergo omne sensibile est homo.» Medium, quod est *Tó* animal, praedicatur in majore et subjicitur in minore.

Galenus addidit hanc quartam figuram, quae inutilis est, quia vel non concludit, ut in exemplo allato (nam «sensibile» particulariter sumitur in praemissis, ut attributum propositionis affirmativae, et universaliter in conclusione ut subjectum propositionis universalis), vel si concludat reducitur ad primam cujus est quaedam subversio, in quantum major ponitur loco minoris. Si enim invertuntur praemissae syllogismi quartae figurae, syllogismus quidem concludit, sed tunc pertinet ad primam figuram, ut patet: «omne animal est sensibile; sed omnis homo est animal; ergo omnis homo est sensibilis.» Unde fit ut communiter quarta figura rejiciatur; ideoque illa seposita tres aliae isto versiculo comprehenduntur:

Sub. prae. prima; sed altera bis prae; tertia bis sub.

Id est in prima, medium subjicitur et praedicatur; in secunda, bis praedicatur; in tertia, bis subjicitur.

[1] De argumentatione in genere et ejus

regulis agit Goudin 3. p. log. min. art. 1^o et Roselli t. 1. p. 1. c. 3. et 4. uterque ponit octo species argumentationis: Syllogismus, Inductio, Exemplum, Dilemma, Sorites, Enthymema, Epicherema, et Prosyllogismus. De quibus auctor agit in sequentibus § §.

(2) Vide commentarium divi Thom. in 1. prior. analyt. c. 20.

(3) Vide Goudin tert. p. log. min. per totum. et Roselli loc. citato a c. 3. ad 8.

(4) Animadvertite discrimen inter *consequens*, et *consequentiam*. Nam consequens est illa propositio quae inferitur ex antecedente consequentia vero, est conexio seu illatio inter antecedens et consequens. Cicero scribit de consequente [4 de finib] ita: *cum consequens aliquod falsum est, illum, cuius id consequens sit, non potest esse verum*: de consequentia vero ait, (4 ad Her.) *per consequentiam significatio fit, cum res quae sequuntur aliquam rem dicuntur*.

[5] De inductione vide Roselli, Goudin, locis citatis, atque etiam Iacquier 3 p. c. 2. a. 3 Sed animadvertere oportet quod inductio absoluta, sic ab Auctore appellata, proprie loquendo, nec est, nec esse potest inductio; sed ex vi activa intellectus agentis procedit: ut explicatur a S. Thoma dum de origine idearum, ut videri potest in Roselli et Goudin, atque etiam in expositione de hac materia in P. V. Philos. Chris.

[6] Hoc argumenti genus sperni non de-

bet; et eo maxime quod sacra scriptura et Dominus Jesus eo frequentissime usi sunt v. g. Matth 6. *Respiciite volatilia coeli quoniam non serunt, nec metunt, nec congregant in horrea; et Pater vester coelestis pascit illa: Nonne vos magis pluris estis illis?*

(7) Ut omnis tollatur equivocatio notandum est quod sorites in tot syllogismos resolvitur, quot sunt in eo medii termini: quae resolutione facta, nulla ambiguitas relinquitur. Vide Iacquier. 3. p. a. 3. n. 1. et 2.

(8) Praeter tres regulas hic enumeratas, est alia communis quae ab scholasticis vocatur: "dictum de omni, et nullo." Scilicet quidquid de genere vel specie omni affirmatur vel negatur etiam de quovis sub illo genere vel illa specie contento affirmandum vel negandum est eodem modo Vide Iacquier, 3. p. log. c. 1. n. 2. et Wolf. in Log.

(9) Haec regula etiam intelligenda est de certitudinis gradu; scilicet conclusio non plus certitudinis habet quam quae in praemissis reperitur. et ideo si, v. g. una sit certa et altera probabilis conclusio tantum probabilis est.

(10) Vide Iacquier et Bouvier.

ARTICULUS ADDITIONALIS AD § 4.

De figuris syllogismorum agunt Roselli t. 1. c. 7. Goudin log. min. 3. p. a. 2. c. 3. Iac-

quvier 3. p. log. c. 1. a. 2. ex quibus sequentes animadversiones seligimus.

1.^a Unaquaeque figura suas peculiâres leges habet, hisce versibus pro tribus primis expressas. In

1.^a Sit minor affirmans, major vero generalis.

2.^a Una negans esto, nec major sit specialis.

3.^a Sit minor affirmans, conclusio particularis. (De 4.^a figura ejusque regulis idfra agemus.)

Probaturs prima regula quoad 1. par. sic: si minor non esset affirmativa foret negativa; et etiam conclusio: quum vero praedicatum conclusionis, in hac figura, sit etiam majoris; haec foret necessario negativa, et tunc nihil concluderetur ex regula quinta: *utraq; si &*. Quoad 2. par. sic: praedicatum minoris vi affirmationis est particulare; quum vero medius terminus ex 3. regula semel saltem debeat esse universalis, et non in minore, quia praedicatum affirmativae; ergo in majore, cujus est subjectum; ergo ipsa universalis.

Eodem modo probatur secunda quoad primam partem, sic: medius terminus in secunda figura est praedicatum utriusque, et semel universalis ex 3.^a regula; praedicatum vero universale est propositionis negantis; ergo una praemissarum negans. Ex quo sequitur probatio secundae partis, sic: si una

praemissarum negans; ergo conclusio negativa ex octava regula: praedicatum vero conclusionis vi negationis universale; ipsum autem subjectum majoris; ergo et haec universalis.

Similiter 3.^a sic probatur quoad primam partem; si minor esset negans, conclusio etiam negativa; et tunc major etiam negativa, quia praedicatum conclusionis in hac figura est etiam majoris; et tunc omnes negantes contra quintam regulam; ergo minor affirmans. Ex quo secunda pars probatur sic: praedicatum minoris particulare vi affirmationis; ipsum vero subjectum conclusionis in hac figura; ergo et ipsa particularis.

2. Animadversio. Quarta figura est propria et rigorosa, pendet enim ex distributione medii, ut patet: non vero ex positione propositionum; major namque et minor non ex primo vel secundo loco sed ex praedicato vel subjecto conclusionis nominantur: nihil ergo interest si positio invertatur. Regula vero pro hac quarta figura haec est: *si major sit affirmans, minor est universalis; si minor sit affirmans, conclusio est particularis; denique si conclusio negans, major debet esse universalis*. Quod quidem patet ex natura hujus figurae; nam subjectum majoris praedicatum conclusionis; et praedicatum minoris subjectum conclusionis; medius vero terminus praedicatum majoris et subiectum

minoris: si ergo major affirmans praedicatum particulare quod est medius terminus, qui semel saltem debet esse universalis; ex tertia regula: non ergo in majori, sed in minori ejus est subjectum: ergo ipsa universalis. Similiter si minor affirmans; ergo praedicatum particulare, quod est subjectum conclusionis: ergo ipsa particularis. Tandem si conclusio negans, praedicatum universale, quod est subjectum majoris: ergo et haec universalis. Ex quo denique sequitur quod haec figura quinque tantum modos habet, scilicet *baralipon*, *canentes*, *dimatis*, *fepasmo*, *fressisomorum*. Haec sufficiant.

§ 5. De modis syllogismi.

Modus syllogisticus, ut jam diximus, est dispositio propositionum praemissarum secundum universalitatem et particularitatem, affirmationem et negationem. Unde quum sint quatuor genera propositionum, scilicet affirmativa universalis, negativa universalis, affirmativa particularis, negativa particularis quae designantur per quatuor vocales a, e, i, o, sexdecim modi sub qualibet figura sunt possibiles, nam, eadem manente dispositione medii cum extremis, sexdecim combinationes istarum propositionum fieri possunt, ut patet in istis quatuor litteris quae sexdecim modis possunt combinari. Attamen non omnes isti

modi sunt utiles, sed solum aliqui; unde ut utiles ab inutilibus discernantur, accurate perpendenda sunt principia syllogismi et ejus conditiones; vel facilius et brevius quatuor ex octo regulis syllogismorum: prima, secunda, tertia et quinta. (Vide supra.)

Sunt igitur octo et quadraginta modi tam utiles quam inutilis, inter quos novemdecim tantum utiles reperiuntur; novem pro prima figura, quatuor pro secunda, sex pro tertia; qui modi, ut facilius memoria teneri possint, quatuor his versibus comprehenduntur:

- 1.^a Barbara, celarent, darii, ferio, (4^a)
(Baralipon
Canentes, dimatis, fepasmo, fressisomorum
- 2.^a Cesare, camestres, festino, Baroco (3^a)
(derapti
Felapton, disamis, datisi, Bocardo, ferison.

Notandum est primo quod in his versibus tres primae syllabae significant tres propositiones syllogismi; si enim sunt plures, ponuntur solum ratione carminis. Vocales a e i o indicant combinationem propositionum particularium aut universalium, negativarum aut affirmatarum. Quatuor primae voces designant quatuor primos modos directos primae figurae, qui sunt omnium perfectissimi. Quinque sequentes voces desi-

gnant quinque modos indirectos primae figurae, qui oriuntur ex primis invertendo solum conclusionem. Quatuor primae voces tertii versus denotant quatuor modos utiles in secunda figura; reliquae sex designant sex modos utiles in tertia figura.

Notandum est secundo omnes consonantes initiales istorum vocabulorum, quae sunt B. C. D. F. sicut et istae s. p. m. c., in medio quorundam positae, suum, ut vocales, habere munus; indicant enim quid agendum sit quum modi imperfecti reducuntur ad modos perfectos, scilicet ad quatuor primos primae figurae.

Reductio autem huiusmodi duplex est: alia dicitur «ostensiv», alia «ad impossibile.» Ostensiva est reductio modorum imperfectorum ad modos perfectos, quorum consonantes initiales sunt B. C. D. F. Modi imperfecti incipiunt etiam per aliquam ex istis quatuor consonantibus, quae significant modum imperfectum quemlibet reducendum esse ad modum perfectum eandem habens litteram initialem; «Caesare,» v. g. ad «celarent,» et sic de aliis. Consonantes s. p. m. c. quae in medio modorum imperfectorum reperiuntur, semel aut iterum, significant: S. propositionem indicatam per vocalem antecedentem esse convertendam simpliciter: P. esse convertendam per accidens; M. convertendas esse praemissas, ita ut major fiat

at minor et minor fiat major servata conversione quam aliae litterae petunt. C. denique in medio vocabuli denotat illum modum in quo reperitur, non posse reduci per ostensionem, sed tantum per impossibile. Quae omnia his duobus versibus comprehenduntur.

S. vult simpliciter verti; P. vero per accid.
M. vult transponi; C. per impossibile duci.

Sit in exemplum reductionis ostensivae argumentum istud in Fapesmo: «omne animal est sensibile; sed nullus lapis est animal; ergo aliquod sensibile non est lapis.» In primis debet reduci in Ferio, modus perfectus qui incipit eadem littera. Id vero fiet si major quam designat a, convertatur per accidens ut designat p; si minor quam designat i, convertatur simpliciter ut designat s; tandem si, ut exigit m, major mutetur in minorem. Hoc enim facto reddetur hoc argumentum in Ferio: «nullum animal est lapis; sed aliquod sensibile est animal; ergo aliquod sensibile non est lapis.»

Reductio ad impossibile fit quando aliquis negat consequentiam concessis praemissis. Tunc enim assumendo contradictoriam conclusionis negatae, cum altera ex praemissis concessis, fit syllogismus perfectus concludens contradictoriam vel contrariam alicuius praemissae concessae, ac proinde cogitur

negans concedere duas contradictorias simul veras. Quæ autem ex duabus præmissis retinenda sit, et quo loco disponenda, licet ex ipso judicio satis discerni posset, attamen indicant isti versus.

Prima minorem adimit, facit e majore minore.
(norem.)

Celantes minor est contrad. min. sede majoris.
(joris.)

Majorem servat variatque secunda minorem.
Tertia majorem variat, servatque minorem.

Sensus est: in prima figura, ut reducat argumentum ad impossibile, contradictoria conclusionis ponenda est loco majoris, et major loco minoris. Excipitur modus Celantes in quo minor ponitur loco majoris. In secunda figura major servatur et contradictoria fit minor. In tertia figura minor servatur et contradictoria fit major. Exemplum sit in isto syllogismo secundæ figuræ modi Cesare: «nulla virtus est turpis; sed omnis luxuria est turpis; ergo nulla luxuria est virtus.» Si quis concessis præmissis neget conclusionem, sumo ejus contradictoriam, igitur aliqua luxuria est virtus,» quam ponendo loco minoris formo tale argumentum: «nulla virtus est turpis; sed, ex te, aliqua luxuria est virtus; ergo aliqua luxuria non est turpis;» ubi clare infertur in quarto modo primæ figu-

ræcontradictoria minoris concessæ in primo argumento. Sicque cogitur respondens concedere duas contradictorias quod est impossibile.—Ad calcem logicæ reportamus tabulas modorum syllogismi secundum tres figuras, cum censura eorum.

ARTICULUS ADDITIONALIS AD § 5.

Omnia hæc desumpta sunt cum tabula modorum ex P. Goudin log. min. p. 3. a. 3. et 4. sed aliqua modificatione indigent. Nam 1.^o modi omnes qui ex combinatione quatuor litterarum *a. e. i. o.* proveniunt sunt sexaginta quatuor prout mathematicè probatum est ab Wolfio in Logica, et Iacquier p. 3. c. 1.

Modi vero utiles non sunt nisi decem; quatuor affirmativi et sex negativi, prout patet ex comparatione litterarum quibus constant omnes figurarum modi qui sunt videlicet:

<i>a. a. a.</i>	<i>e. a. e.</i>	<i>i. a. i.</i>	<i>o. a. o.</i>
<i>a. a. i.</i>	<i>e. i. o.</i>		
<i>a. i. i.</i>	<i>e. a. o.</i>		
<i>a. e. e.</i>			
<i>a. o. o.</i>			

Hæc namque sunt omnes combinationes

litterarum in figurarum modis unicis, qui ex natura uniuscujusque figuræ provenire possunt: prout facile demonstratur ex principiis et regulis in superiori articulo additionalibus adductis. Scilicet, ex illis enim abs nullo dubio probatur, quod alii modi in unaquaque figura non sunt possibiles nisi sequentes, nempe: pro

- 1.^a Barbara, Celarent, Darii, Ferio.
- 2.^a Cesare, Camestres, Festino, Baroco.
- 3.^a Darapti, Felapton, Disamis, Datisi,
(Bocardo, Ferison).
- 4.^a Baralipon, Canentes, Dimatis, Fepasmo, Fressisomorum.

Ex quorum comparatione apertissime præcedens litterarum tabula deducitur.

Notandum quod claritatis gratia tantisper correximus aliqua minus exacta, quae in texto auctoris ex P. Goudin desumpta reperiuntur. V. g. ex eo quod natura quartae figuræ ab ipsis non est satis expensa, loco modorum *Canentes, Dimatis, Fepasmo, Fressisomorum* legebatur: *Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frissesomorum*; qui aperte repugnant naturæ ipsius figuræ; prout patet cuilibet attente consideranti quæ de illa a nobis allata sunt in superiori articulo additionalibus.

§ 6. De syllogismo demonstrativo.

Demonstratio definitur: syllogismus constans ex propositionibus necessariis, certis et evidentibus; seu juxta Aristotelem: syllogismus faciens scire. Prima definitio est essentialis; secunda vero est descriptiva quia illam explicat per suum effectum, scilicet per scientiam.

Demonstratio duplex est: alia a priori, alia a posteriori; illa probat effectum per suam causam, et vocatur a priori, quia causae sunt priores effectibus; haec probat causam per effectum, et vocatur a posteriori quia effectus est posterior causa. Quae a priori vocatur dicitur etiam demonstratio quid ex eo quod per essentiam sive quidditatem rei immediate perspectam, omni quæ ad rem tum proprie, tum accidentaliter pertinent vel pertinere possunt determinat. Quae est a posteriori vocatur adhuc quia, ex eo quod essentiam rei per ejus proprietates investigans, vel causam per effectus suos, non probat, saltem adæquate et in se, quid est res sed tantum quia est; non enim proprietates essentiam, neque affectus causam adæquate manifestant. Demonstratio a priori non proprie competit intellectui humano, ut ostendetur in anthropologia et in metaphysica; nam intellectus noster extra res positus eas novit in quantum manifestantur.

Non intuetur enim immediate et directe sive essentiam, sive causam, sed eas mediate et indirecte per proprietates et per effectus investigat. Essentiam tamen rei per proprietates, et causam per effectus, in quadam mensura perspicimus, et tunc demonstratio esse a priori videtur. Sed hoc falsum est propter duo: 1.^o quia neque essentiam perfecte ut in se est, neque causam videmus; 2.^o quia utraque nobis innotescit, non intuitione immediata sed reflexa, id est procedendo de notis per se, scilicet de proprietatibus et effectibus ad ignota, scilicet ad essentiam et causam. Ubi distinguendum est inter essentias concretas, scilicet rerum, et essentias abstractas quae nihil aliud sunt quam conditiones essentielles sub quibus existentiam rerum concipimus, et conceptuum nostrorum leges. In hoc sensu tantum demonstratio a priori admittenda est; nititur quidem primis principiis rationis humanae quibus, ut docet sanctus Thomas, naturaliter et ex necessitate adhaeret intellectus noster.

Principia huiusmodi vel exprimere, vel evidenter implicare debet major propositio syllogismi demonstrativi, quae ideo vocatur per se nota; ejusmodi sunt: «impossibile est idem esse simul et non esse; quidquid dicitur universaliter de aliquo, dicitur de omni sub ipso contento; totum est majus sua parte, &c.» Illa autem dicuntur per se nota quae

statim, notis terminis, cognoscuntur; sed adverteendum est quod alia sunt nota per se simpliciter, alia quoad nos. Nota per se simpliciter, id est absolute, dicuntur ea quae magis a materia et potentialitate recedunt; nam, ut in anthropologia ostendetur, intelligere abstrahit a materia, et res in tantum intelligibilis est in quantum a materia separatur; unde Deus est primus in ordine intelligibilium. Haec autem, per se simpliciter intelligibilia, secundum quid, id est quoad nos, sunt minus nota; et hoc provenit ex defectu intellectus humani qui, ut ait Aristoteles, se habet ad intelligibilia rerum tanquam oculus noctuae ad lumen solis. Per se nota quoad nos, sunt proxima sensui, minus quidem intelligibilia simpliciter, sed magis nota secundum quid, quo fit ut cognitio humana initiumumat a sensibus, et, ut jam probatum est, demonstratio a priori proprie dicta non sit de jure rationis nostrae. (11)

EX QUIBUS SEQUENTES CONCLUSIONES ENUCLEANTUR.

- 1.^a Dantur verae demonstrationes. Roselli.
- 2.^a Demonstratio recte dividitur 1.^o in demonstrationem *propter quid*, et demonstrationem *quia*; 2.^o in *a priori*, et *a posteriori*. Roselli.

- 3.^a In demonstratione, assensus praemissarum efficienter producit assensum conclusionis. S. Thom. a Goudin cit.
- 4.^a Posito assensu praemissarum demonstratarum, intellectus nullo modo abstineri potest ab assensu conclusionis. S. Thom. a Goudin cit.

Ex doctrina Iacquier, p. 3. log. c. 2. Demonstratio etiam duplex est: *ostensiva* sive *directa*, qua ex notione subjecti colligitur praedicatum subjecto convenire: et *apogogica* seu *indirecta*, qua ex contradictionis falsitate demonstratur veritas. De prima aliqua dicemus: modus efformandi demonstrationem ostensivam in toto rigore logico hic est. Syllogismorum series ita connectenda est, ut ex primo syllogismo ad ultimum usque progrediatur; in quorum praemissis nihil falsitatis nec ambiguitatis sit, seu quod idem est omnes sint demonstrativae: quod consequitur hoc artificio: majores propositiones desumantur ex axiomatibus, definitionibus seu propositionibus aliunde demonstratis; minores vero ex subjecta materia, ita ut conclusio praecedentis syllogismi sit minor sequentis: rem exemplo illustrabimus. Sit demonstranda haec propositio.

ACCIDENTALES MODI DEFINITIONEM INGRES-
NEQUEUNT.

En ejus demonstratio:

1. Quae mutabilia sunt salvo subjecto abesse possunt:

Sed modi accidentales mutabiles sunt; ergo modi accidentales salvo subjecto abesse possunt.

2° Quae salvo subjecto abesse possunt, rebus agnoscendis et a se invicem discernendis inservire nequeunt:

Sed modi accidentalis salvo subjecto abesse possunt; ergo modi accidentalis rebus agnoscendis et a se invicem discernendis inservire nequeunt.

3° Quod rebus agnoscendis et a se invicem discernendis inservire nequit, ex notarum numero excludendum est:

Sed modi accidentales rebus agnoscendis et a se invicem discernendis inservire nequeunt;

Ergo modi accidentalis ex notarum numero excludendi sunt.

4° Quod ex notarum numero excludendum est, definitionem ingredi nequit:

Sed modi accidentales ex notarum numero excludendi sunt;

Ergo modi accidentales definitionem ingredi nequeunt. Quod erat demonstrandum.

§ 7. *De syllogismo topico seu probabile.*

Syllogismus probabilis est qui probat conclusionem per medium probabile, id est quod aliquando potest esse verum et aliquando falsum. Hujusmodi sunt omnes propositiones in materia contingenti. Sit in exemplum argumentum istud: "melancholici sunt suspiciosi; sed Petrus est melancholicus; ergo est suspiciosus," ubi major est tantum probabilis, et, ut aiunt, moraliter vera. De probabilitate autem, et de certitudine in anthropologia tractabitur. Hic tantum agendum est de locis ex quibus desumi possunt argumenta probabilia, quae ideo dicuntur topica, id est localia, quia a quibusdam locis eruntur. Solent autem decem loci assignari: a causis, ab effectibus, a subjecto, ab adjunctis, a contrario, a simili, a nomine, a definitione, et a divisione, et a testimoniis seu ab auctoritate.

Primus locus "a causa" est dum aliquid probatur a sua causa, seu materiali, seu formali; seu efficienti, seu finali, ut dum excellentia artefacti probatur, seu a praestantia

materiae, seu a praestantia formae, seu ab industria artificis, seu ex nobilitate finis.

Secundus locus "ab affectibus" est dum causarum praestantiam probamus per effectuum excellentiam.

Tertius locus "a subjecto" est dum nobilitas accidentis probatur ex nobilitate subjecti.

Quartus locus "ab adjunctis" seu a circumstantiis, est dum aliquid probatur de re ex iis quae ipsi adjunguntur; ut si probemus aliquem esse bonum quia cum bonis conversatur, quia modeste induitur, quia domesticos habet bene morigeratos.

Quintus locus "a contrariis" est dum probamus ex iis quae uni contrario conveniunt, opposita convenire alteri contrario, juxta illud axioma: "contrariorum ratio est contraria."

Sextus locus "a simili" est dum simile a simili colligimus, et hoc est: "Exemplum" de quo supra, in paragrapho de syllogismis imperfectis.

Septimus locus "a nomine" est dum aliquid de re probamus ex ipsa rei nuncupatione, ut si quis probet angelos esse Dei nuntios, eo quod angelus graece idem sonat ac nuntius.

Octavus locus "a definitione, est quando arguimus, ex iis quae conveniunt definitioni, ad definitum.

Nonus locus "a divisione" vocatur etiam enumeratio partium, et est quando de partibus sufficienter enumeratis arguimus ad totum vel e contra; quod refertur ad inductionem.

Decimus locus "a testimonio" est dum aliquid probamus ex auctoritate sapientum, ex opinione scilicet doctoris approbatissimi.—Quae omnia magis arti rhetorum quam philosophiae competunt. (12)

§ 8 De syllogismo sophistico.

Sephisma est syllogismus captiosus, seu constans ex propositionibus ita captiose ordinatis, ut prae se ferant speciem veritatis, quum tamen falsae sint. Omne autem sophisma decipit, vel in forma, vel in vocibus, vel in rebus; unde triplex est fallacia, scilicet formae, vocis et rerum. Circa fallaciam formae nihil dicendum occurrit, nam supra satis exacte traditae sunt regulae quibus forma legitima ab illegitima discernitur. Circa fallaciam vocum et rerum quaedam breviter dicemus.

Fallacia vocum est dum quis ut decipiat, abutitur vocibus; id est has usurpat in sensu fallaci.

Quinque sunt praecipue modi fallendi in vocibus: aequivocatio, amphibologia, variatio

sensus compositi aut divisi, accentus et figura dictionis.

Aequivocatio est dum quis utitur in argumento voce aequivoca. Ut si qui sic arguat: "ariies est animal; sed machina bellica est arles; ergo machina bellica est animal."

Amphibologia est dum quis utitur propositione ancipitis sensus, ut saepe solebant antiqua Gentilium oracula. Sic Pyrrho quaerenti an Romanos superare posset, respondit oraculum: "Aio te, Aecida, Romanos vincere posse;" quod aequè significat Romanos Pyrrhum et Pyrrhum Romanos vincere posse.

Fallacia sensus compositi aut divisi est dum quis arguit a sensu composito ad divinum, vel e contra, ut si dicas: "qui habet potentiam ambulandi, potest de facto ambulare; sed Petrus sedendo habet potentiam ambulandi; ergo sedendo potest ambulare."

Fallacia accentus est dum quis utitur voce ex accentus diversitate sensum variante, ut si quis dicat: "qui occidit moritur; sed gladius occidit; ergo gladius moritur."

Fallacia dictionis est dum ab uno genere ad aliud fit transitus, ut si quis dicat: "omne corpus visibile est coloratum; sed paries est visibilis; ergo paries est coloratum;" ibi enim variatur genus masculinum in neutrum; quod omnino puerile est. In rebus plures contingere posunt fallaciae praecipue autem semper numerantur.

Prima est fallacia accidentis seu praedicati, quando scilicet praedicatum variat suppositionem, ut si quis dicat: "animal est genus; atqui homo est animal; ergo homo est genus."

Secunda fallacia est a simpliciter ad secundum quid, ut si quis dicat: "arma restituenda sunt domino; sed iste furibundus est dominus talium armorum; ergo sunt restituenda isti furibundo. Quamvis enim major propositio sit vera simpliciter, non est tamen vera secundum quid."

Tertia fallacia est contradictionis; quae alterdiatur ignorantio elenchi et fit quando scilicet inferitur contradictio; ubi nulla est contradictio; ut si quis dicat Aethiops est albus secundum dentes; sed non est albus secundum alia membra; ergo est albus et non albus; ergo in Aethiope contradictoria verificantur; falsum est enim quod ibi sit contradictio quis non secundum idem est albus et non albus. Haec fallacia quinque modis contingere potest, defectu scilicet alienius ex quinque conditionibus ad contradictionem requisitis, quae sunt: prima, ut contradictio sit de eodem secundum idem, quae deficit in exemplo allabto; secunda, non solum secundum idem sed eodem modo sumtum; tertia, sub eodem respectu; quarta, pro eodem tempore; quinta, pro eodem loco.

Quarta est fallacia petitionis principii, proveniens ex eo quod idem assumitur ad

probationem sui ipsius sub alio vocabulo, ut si debeat probari quod Socrates sit pater Platonis, id quod probandum est, alio nomine pro principio sumatur: "Plato est filius Socratis; ergo Socrates est pater Platonis." Haec fallacia petitio principii dicitur, quia respondens petit sibi concedi principale propositum quod debet probare. Vocatur etiam circulus vitiosus ex eo quod syllogismus et circulus qui incipiens a maiore ad maiorem redit per attributum conclusionis; hic vero circulus est vitiosus quia apparet tantum et non reipsa existit; nam motus deductionis de eodem ad idem impossibile est quidquid appareat.

Quinta est fallacia consequentis, quando quis arguit conversim in his quae non convertuntur ut: "si aliquis est fur, errat de noctes sed tu erra; de nocte; ergo tu es fur;" patet enim quod major sic conversa falsa est: «si aliquis errat de nocte, est fur.»

Sexta est fallacia causae non causae quando scilicet quis tribuit effectum ei a quo non causatur, ut si quis dicat: «seditiones sunt malae; sed propter Evangelium excitantur seditiones; ergo Evangelium, &c.» Eadem fallacia dicitur etiam: «post hoc, ergo propter hoc.»

Septima est fallacia interrogationis, quando quis de oppositis simul interrogando, unam pro utroque responsionem elicit, ut:

"virtus et iniquitas estne bona vel mala?" Si enim respondeatur "bona," infert interrogans: "ergo iniquitas est bona;" et si respondeatur "mala," infert: "ergo virtus est mala."

Hæc omnia fuse tradit Aristoteles quia ejus temporibus vigeant sophistæ quorum tota cura occupabatur in excogitandis verutiis, quibus incautos vel deciperent, vel implicarent. Nostræ ætatis sopistæ, Duce Hegelio, sive decepti sive deceptores, nihil ad rem, eosdem laqueos conantur abscondere. (13)

§ 9 De inventioni medii.

Opusculum quinquagesimum S. Tomæ hanc quaestionem breviter et lucide solvit; quod sic se habet:

"Quoniam principium syllogizandi unam quamque propositionem (1) est medius terminus, ideo ut possimus habere modum syllogizandi unamquamque propositionem, de inventioni medii termini nunc est determinandum.

"Quum igitur propositionum alia sit universalis, alia particularis; et universalium, alia affirmativa, alia negativa, de inventioni

(1) Syllogizare propositionem idem est ac invenire syllogismum cujus est conclusio, qui patet medio invento.

medii ad syllogizandum universalem affirmativam prius est dicendum.

«Est ergo dicendum quod ad syllogizandum universalem affirmativam, sumendum est pro medio id quod sequitur subjectum et antecedit prædicatum (1); cujus causa est quia universalis affirmativa non syllogizatur nisi in primo modo primæ figuræ (Barbara). Sed in hoc oportet medium antecedere prædicatum propositionis syllogizandæ quum universaliter subjiciatur ei, et sequi subjectum ejus quum universaliter prædicetur de ipso. V. g. si hæc propositio est syllogizanda (2): «omnis homo est substantia,» conveniens medium ipsius est «animal» quia ad semper sequitur secundum consequentiam ipsum subjectum et antecedit prædicatum, ut dicatur «omne animal est substantia; sed omnis homo est animal; ergo omnis homo est substantia.»

«Ad syllogizandum universalem negativam sumendum est pro medio id quod se-

[1] Terminus consequens ille est qui ex alio infertur, ut si ponas: est homo; sequitur; ergo animal, vivens, substantia.—Terminus antecedens est ille qui alium infert, ut si ponas: est substantia, termini antecedentes, scilicet qui substantiam inferunt, erunt: corpus, spiritus, animal.

(2) Immutatur exemplum.

quitur subjectum et repugnat (1) praedicato, et hoc quoad secundum modum primae figurae (celarent), et primum secundae (cesare); vel quod repugnat subjecto et sequitur praedicatum, quoad secundum modum secundae figurae (camestres); cujus causa est quia universalis negativa non syllogizatur nisi in tribus modis praedictis, et in duobus primis modis medius terminus sequitur ad subjectum et repugnat praedicato; in tertio vero medius repugnat subjecto et sequitur ad praedicatum. V. g. si haec propositio est syllogizanda (2); «nullus homo est arbor» conveniens medium ipsius in duobus primis modis est «rationale» et sic arguetur: (in celarent) «nullum rationale est arbor; sed omnis homo est rationalis; ergo nullus homo est arbor;» (in cesare) «nulla arbor est rationalis; sed omnis homo est rationalis; ergo nullus homo est arbor;» In tertio vero syllogismo conveniens medium est «insensibile» quia id repugnat subjecto et sequitur ad praedicatum, ut (in camestres): «omnis arbor est insensibilis; sed nullus homo est insensibilis; ergo nullus homo est arbor.»

(1) Terminus repugnans ille est qui non potest alteri inesse.

[2] Immutatur exemplum.

«Ad syllogizandum autem particularem affirmativam sumendum est pro medio consequens ad subjectum et antecedens ad praedicatum, cujus causa est quia particularis affirmativa non concludit nisi in prima et tertia figura, et ut concludatur in prima oportet quod medium antecedit praedicatum, quum subjiciatur ei; et quod sequatur subjecto, quum praedicetur de eo. Si vero concludatur in tertia oportet medium antecedere utrumque, scilicet subjectum et praedicatum quum subjiciatur utrique. V. g. si haec propositio est syllogizanda: «quodam animal est substantia,» conveniens medium ejus in prima figura est «sensibile» quia id sequitur subjectum et antecedit praedicatum; in tertia vero figura conveniens medium est «homo» quia antecedit utrumque.

«Ad syllogizandum autem particularem negativam, sumendum est pro medio id quod sequitur subjectum et repugnat praedicato; vel id quod repugnat subjecto et sequitur praedicatum; cujus causa est quia particularis negativa concluditur in omni figura. Et si concludatur in prima, oportet medium sequi subjectum quum praedicetur de eo, e-repugnare praedicato quum removeatur ab eo. Si autem concludatur in secunda, oportet medium sequi subjectum et repugnare praedicato quoad tertium modum (festino),

vel repugnare subjecto et sequi praedicatum quoad quantum modo (Baroco). Si vero concludatur in tertia, oportet medium antecedere subjectum, quum subjiciatur ei (subjicitur enim minori extremo quod est subjectum conclusionis), et repugnare praedicato, quum praedicatum removeatur ab ipso. V. g. si haec propositio est syllogizanda: «aliquis homo non est lapis,» conveniens medium ejus in prima figura et etiam in tertio secundae figurae (festino) est «animal» quod sequitur ad subjectum et repugnat praedicato. In quarto autem secundae figurae (Baroco) conveniens medium est «insensibile,» quod repugnat subjecto et sequitur praedicatum. Conveniens vero medium in tertia figura est «rationale,» quod antecedit subjectum et repugnat praedicato. Convertibilia enim antecedunt et sequuntur ea cum quibus sunt convertibilia, ideo «rationale» antecedit et sequitur hominem.» (14)



MODI SYLLOGISMI.

TABULA MODORUM PRIMÆ FIGURÆ

CUM CENSURA CUJUSLIBET.

- | | | |
|---|---------------------------------|------|
| a | Omne animal est sensibile: | Bar- |
| a | Omnis homo est animal; | ba- |
| a | Ergo omnis homo est sensibilis. | ra. |

Utilis, quia servat regulas.

- | | |
|---|-----------------------------------|
| a | Omne animal est substantia: |
| e | Nullus lapis est animal; |
| e | Ergo nullus lapis est substantia. |

Inutilis, quia peccat contra tertiam regulam: distribuit enim in conclusione majus extremum, quod non est distributum in praemissis.

- | | | |
|---|-----------------------------------|------|
| a | Omne animal est sensibile: | Da- |
| i | Aliquis homo est animal; | ri- |
| i | Ergo aliquis homo est sensibilis. | i. ® |

Optimus, quia servat regulas.

- | | |
|---|--|
| a | Omne animal est substantia: |
| o | Aliquis lapis non est animal; |
| o | Ergo aliquis lapis non est substantia. |

Inutilis defectu tertiae regulae distribuit enim majus extremum in conclusione,

vel repugnare subjecto et sequi praedicatum quoad quantum modo (Baroco). Si vero concludatur in tertia, oportet medium antecedere subjectum, quum subjiciatur ei (subjicitur enim minori extremo quod est subjectum conclusionis), et repugnare praedicato, quum praedicatum removeatur ab ipso. V. g. si haec propositio est syllogizanda: «aliquis homo non est lapis,» conveniens medium ejus in prima figura et etiam in tertio secundae figurae (festino) est «animal» quod sequitur ad subjectum et repugnat praedicato. In quarto autem secundae figurae (Baroco) conveniens medium est «insensibile,» quod repugnat subjecto et sequitur praedicatum. Conveniens vero medium in tertia figura est «rationale,» quod antecedit subjectum et repugnat praedicato. Convertibilia enim antecedunt et sequuntur ea cum quibus sunt convertibilia, ideo «rationale» antecedit et sequitur hominem.» (14)



MODI SYLLOGISMI.

TABULA MODORUM PRIMÆ FIGURÆ

CUM CENSURA CUJUSLIBET.

- | | | |
|---|---------------------------------|------|
| a | Omne animal est sensibile: | Bar- |
| a | Omnis homo est animal; | ba- |
| a | Ergo omnis homo est sensibilis. | ra. |

Utilis, quia servat regulas.

- | | |
|---|-----------------------------------|
| a | Omne animal est substantia: |
| e | Nullus lapis est animal; |
| e | Ergo nullus lapis est substantia. |

Inutilis, quia peccat contra tertiam regulam: distribuit enim in conclusione majus extremum, quod non est distributum in praemissis.

- | | | |
|---|-----------------------------------|------|
| a | Omne animal est sensibile: | Da- |
| i | Aliquis homo est animal; | ri- |
| i | Ergo aliquis homo est sensibilis. | i. ® |

Optimus, quia servat regulas.

- | | |
|---|--|
| a | Omne animal est substantia: |
| o | Aliquis lapis non est animal; |
| o | Ergo aliquis lapis non est substantia. |

Inutilis defectu tertiae regulae distribuit enim majus extremum in conclusione,

quod non est distributum in praemissis

- e Nullum animal est lapis: Ce-
 a Omnis homo est animal; la-
 e Ergo nullus homo est lapis. rent.

Utilis, quia servat regulas.

- e Nullus homo est lapis;
 e Nullum marmor est homo;
 e Ergo nullum marmor est lapis.

*Inutilis, quia est ex puris negativis
 contra quartam regulam.*

- e Nullum animal est lapis: Fe-
 i Aliquis homo est animal; ri-
 o Ergo aliquis homo non est lapis. o-

Utilis, quia servat regulas.

*Nota quod ex quatuor praecedentibus mo-
 dis directis possunt fieri quatuor indirectis in-
 vertendo tantum conclusionem, et illi dicun-
 tur Baralipon, Celantes, Dabitis, Fapesmo.
 At vero Frissesomorum fit ex secundo inutili.
 a, e. convertendo tantum conclusionem.*

- e Nullum animal est lapis;
 o Sed aliquod marmor non est animal;
 o Ergo aliquod marmor non est lapis.

*Inutilis, quia est ex puris negativis
 contra quartam regulam.*

- i Aliquod animal est rationale;
 a Sed omnis equus est animal;
 i Ergo aliquis equus est rationalis.

*Inutilis defectu secundae regulae; non
 enim distribuit medium.*

- i Aliquod animal est substantia;

- e Nullus lapis est animal;
 o Ergo aliquis lapis non est substantia.
*Inutilis, defectu tertiae regulae; distri-
 buit enim in conclusione majus extre-
 mum in praemissis non distributum.*

- i Aliquis equus est albus;
 i Sed aliquis albus est homo;
 i Ergo aliquis homo est equus.

*Inutilis, quia est ex puris particulari-
 bus contra secundam regulam.*

- i Aliquis equus est substantia;
 o Aliquis lapis non est equus;
 o Ergo aliquis lapis non est substantia.

*Inutilis, quia est ex puris particulari-
 bus, et praeterea distribuit majus ex-
 tremum in conclusione, quod non est
 distributum in praemissis contra se-
 cundam et tertiam regulam.*

- o Aliquod animal non est rationale;
 a Sed omnis homo est animal;
 o Ergo aliquis homo non est rationalis.

*Inutilis, quia non distribuit medium
 contra secundam regulam.*

- o Aliquis lapis non est animal;
 e Nullus homo est lapis;
 e Ergo nullus homo est animal.

*Inutilis, quia est ex puris negativis con-
 tra quartam regulam.*

- o Aliquod animal non est rationale;
 i Sed aliquis homo est animal;
 o Ergo aliquis homo non est rationalis.

Inutilis, quia est ex particularibus et non distribuit medium contra secundam regulam.

- o Aliquis lapis non est animal;
- o Aliquis homo non est lapis;
- o Ergo aliquis homo non est animal.

Inutilis, quia est ex negativis contra quartam regulam.

TABULA MODORUM SECUNDÆ

FIGURÆ

CUM CENSURA EORUM

- a Omnis homo est animal;
- a Omne sensibile est animal;
- a Ergo omnes ensibile est homo.

Inutilis, quia non distribuit medium contra secundam regulam.

- a Omnis homo est rationalis; Cam-
- e Nullus equus est rationalis; es-
- e Ergo nullus equus est homo. tres.

Utilis, quia servat regulas.

- a Omne animal est substantia;
- i Aliquis lapis est substantia;
- i Ergo aliquis lapis est animal.

Inutilis, quia non distribuit medium contra secundam regulam.

- a Omnis homo est animal; Ba-
- o Aliquis lapis non est animal; ro-
- o Ergo aliquis lapis non est homo. co.

Utilis, quia servat regulas.

- e Nullus equus est rationalis; Ce-
- a Sed omnis homo est rationalis; sa-
- e Ergo nullus homo est equus. re.

Utilis, quia servat regulas.

- e Nullum animal est lapis;
- e Nullus homo est lapis;
- e Ergo nullus homo est animal.

Inutilis, quia est ex negativis contra quartam regulam.

- e Nullus lapis est animal; Fes-
- i Aliquis homo est animal; ti-
- o Ergo aliquis homo non est lapis. ne.

Utilis, quia servat regulas.

- e Nullum animal est lapis;
- o Aliquis homo non est lapis;
- o Ergo aliquis homo non est animal.

Inutilis, quia ex negativis contra quartam regulam.

- i Aliquis equus est animal;
- a Omnis homo est animal;
- i Ergo aliquis homo est equus.

Inutilis, quia non distribuit medium contra secundam regulam.

- i Aliqua substantia est homo;
- e Nullus lapis est homo;
- e Ergo nullus lapis est substantia.

Inutilis, quia distribuit majus extre-

mum in conclusione, et non in praemissis.

i Aliquis equus est animal:

i Aliquis homo est animal;

i Ergo aliquis homo est equus.

Inutilis, quia ex particularibus, contra secundam regulam.

i Aliqua substantia est homo:

o Aliquis lapis non est homo;

o Ergo aliquis lapis non est substantia.

Inutilis, quia est ex particularibus et etiam distribuit majus extremum in conclusione et non in praemissis.

o Aliquis homo non est lapis:

e Nullum vivens est lapis;

e Ergo nullum vivens est homo.

Inutilis, quia est ex puris negativis contra quartam regulam.

o Aliqua substantia non est rationalis:

i Aliquis homo est rationalis;

o Ergo aliquis homo non est substantia.

Inutilis, quia ex puris particularibus, et distribuit majus extremum in conclusione et non in praemissis.

o Aliqua substantia non est rationalis:

i Sed aliquis homo est rationalis;

o Ergo aliquis homo non est substantia.

Inutilis, quia distribuit majus extremum, non distributum in praemissis; et ex particularibus.

TABULA MODORUM TERTIÆ FIGURÆ

CUM CENSURA EORUM.

a Omne animal est sensibile: Da-
a Omne animal est substantia; rap-
i Ergo aliqua substantia est sensibilis. ti.
Utilis si inferatur consequentia particularis.

a Omne animal est substantia:
e Nullum animal est lapis;
e Ergo nullus lapis est animal.

Inutilis, quia distribuit majus extremum non distributum in praemissis.

a Omnis planta est vivens; Da-
i Aliqua planta est fructifera; ti-
i Ergo aliquod fructiferum est vivens. si.
Utilis, quia servat regulas.

a Omnis planta est vivens:
o Sed aliqua planta non est animal;
o Ergo aliquod animal non est vivens.

Inutilis, quia distribuit majus extremum in conclusione, et non in praemissis.

e Nullum animal est lapis: Fe-
a Sed omne animal est substantia; lap-
o Ergo aliqua substantia non est lapis. ton.
*Utilis, si conclusio sit particularis, nam si universalis sit, distribuitur in conclusione minus extremum, non dis t**

butum in praemissis, contra tertiam regulam.

- e Nullus lapis est animal;
 e Nullus lapis est rationalis;
 e Ergo nullum rationale est animal.
Inutilis, quia est ex solis negativis.
 e Nullus lapis est rationalis; Fe-
 i Aliquis lapis est substantia; ri-
 i Ergo aliqua substantia non est ratio-
 (nalis. son.

Utilis, quia servat regulas.

- e Nullus lapis est animal;
 o Aliquis lapis non est homo;
 o Ergo aliquis homo non est animal.
Inutilis, quia ex negativis puris.
 i Aliquod animal est rationale: Dis-
 a Omne animal est substantia; am-
 o Ergo aliqua substantia est rationalis. is.
Utilis, quia servat regulas.

- i Aliquod animal est substantia;
 e Nullum animal est lapis;
 o Ergo aliquis lapis non est substantia.

Inutilis, quia distribuit majus extremum in conclusione, non distributum in praemissis.

- i Aliquod animal est rationale;
 i Aliquod animal est brutum;
 i Ergo aliquod brutum est rationale.
Inutilis quia est ex particularibus.
 i Aliquod animal est rationale;

- o Aliquod animal non est homo;
 o Ergo aliquis homo non est rationalis.
Inutilis, quia est ex particularibus.
 o Aliquod animal non est lapis Boc-
 a Omne animal est substantia; ar-
 o Ergo aliqua substantia non est lapis. do.
Utilis, quia servat regulas.

- o Aliquod animal non est lapis;
 e Nullum animal est marmor;
 o Ergo aliquod marmor non est lapis.

Inutilis, quia est ex negativis.

- o Aliquod animal non est rationale;
 i Aliquod animal est homo;
 o Ergo aliquis homo non est rationalis.

Inutilis, quia est ex particularibus.

- o Aliquis lapis non est animal;
 o Aliquis lapis non est homo;
 o Ergo aliquis homo non est animal.

Inutilis, quia est ex negativis. (15)

[11] De hac re vide Goudin, 3. p. log. maj. q. unica per totum, et Roselli, t. 1. q. 18 et 19.

[12] Vide commentarium Sancti Thom. in Top. Arist.

[13] Vide Goudin, 3. p. log. min. a. 4. et Roselli t. 1. q. 31. et Jacquier p. 3. log. c. 3. a. 4. et 5.

Ad tollendam omnem fallaciam notatu dignum credimus quod a dialecticis expli-

catur de sensu colectivo et distributivo. quod quidem fieri potest vel in subjecto vel in praedicato et in utroque casu transitus a sensu colectivo ad distributivum vel vice-versa viciosus est: et hoc praecipue accidit in praedicatis quantitativis, *collective* sumptis; idem accidit in praedicatis distributivis, quando distributio est non pro *singulis generum*, sed pro *generibus singulorum*, ut scholastici loquuntur.

(14) Nihil profundius, et nihil clarius quam haec doctrina Sancti Thomae. Sed ad majorem dilucidationem vide Goudin log. min. p. 3. a. 5.

[15] Vide Goudin log. min. 3. p. a. 3. pag. mihi 92 et sequen.

PRÆCIPUA PHILOSOPHORUM EFFATA

QUIBUS VELUTI AXIOMATIBUS SEU APHORISMIS TOTA PHILOSOPHICA SCIENTIA INITIATUR.

- 1 Ab objecto et potentia paritur notitia S. Aug. 4. de Trin. c. 2.
- 2 Ad praeteritum nulla est potentia.
- 3 A privatione ad habitum non datur regressus. Arist. 2 de ortu c. 11.
- 4 Actio est perfectio agentis.
- 5 Actiones sunt suppositorum. (1^o Metaph.) Arist.
- 6 Actio ad actionem non terminatur. [5^o Physic.] Arist.
- 7 Actio identificatur suo termino. Arist. Phys. c. 3.
- 8 Actionis terminus non est relatio.
- 9 Ab actu ad potentiam valet consequentia, non e contra.
- 10 Actus et potentia dividunt ens. (9 Metaph. 1.) Arist.
- 11 Actus est prior potentia. [9 Metaph. c. 8] Arist.
- 12 Actus melior est potentia. [9 Metaph. c. 10.] Arist.
- 13 Actus et potentia sunt ejusdem generis (12 Metaph. 26.)
- 14 Actus melior est habitu. Arist. 1. Magn. moral. c. 3.
- 15 Actus proportionatur ei cujus est actus.
- 16 Actus ille est melior cujus oppositus est pejor.

- 17 Adjectiva multiplicantur multiplicatis
suppositis.
- 18 Analogum per se sumptum, semper
sumitur pro principali analogato.
- 19 Absolutum est prius respectivo.
- 20 Abstrahentium non est mendacium.
Arist. 2. Phy. et 1. text. 18.
- 21 Absurdo uno dato multa sequuntur.
Arist. 1. de Coelo. c. 5.
- 22 Accidentis esse est inesse. Arist. 7. Me-
aph. n. 1.
- 23 Accidens definiri debet per additamen-
tum.
- 24 Accidens posterius est substantia o-
mnibus modis. Arist. 7. Metaph. c. 1.
- 25 Accidentium attributio est denomina-
tiva.
- 26 Accidentia speciei accidunt generi,
non econtra. Arist. Top. c. 2.
- 27 A qualitate res dicuntur similes vel
disimiles.
- 28 Ad relationem non est motus. Arist.
10 Phys.
- 29 Anima intelligendo quodam modo fit
omnia. S. Thom. et Arist.
- 30 Alteri ne fereris, quod tibi non vis
fieri.
- 31 Agere in distans est proprium Dei.
- 32 Aeterna potentia carent.
- 33 Actus melior est potentia.
- 34 Bonum prius est malo. S. Aug. in En-
chir.
- 35 Bonum ex integra causa, malum ex
quocumque defectu.

- 36 Contrariorum contrariae sunt conse-
quentiae.
- 37 Corruptio optimi pessima Arist.
- 38 Contrariorum potentia est eadem A-
rist.
- 39 Contrariorum seu oppositorum eadem
est ratio, et eadem cognitio.
- 40 Contrariorum contraria est ratio.
- 41 Cui convenit definitio, convenit et de-
finitum, et viceversa.
- 42 Cui repugnat definitum, repugnat et
definitio, et viceversa.
- 43 Diviso subjecto dividitur accidens.
- 44 De tempore nihil est praeter NUNC.
- 45 Ex vero nullo modo sequitur falsum.
- 46 Ex falso aliquando sequitur id quod
aliunde verum est. Goudin.
- 47 Ex duobus entibus in actu non fit u-
num per se; sed per accidens. Arist.
2. de anima. text. 7.
- 48 Ex non quantis non est quantum.
- 49 Ex nihilo nihil fit.
- 50 Ejus mali Deus non est auctor, cujus
est ultor.
- 51 Ex duobus malis sufferendis, minus
est eligendum.
- 52 Essentiae rerum, sicut numeri, in in-
divisibili consistunt.
- 53 Finis est causa causarum. Arist. ex
undecimo Metaph.
- 54 Finis est optimum uniuscujusque rei
Arist. Phys. tex. 74.
- 55 Finiti ad infinitum nulla proportio.
Arist. Phys. c. 7.

- 56 Finis et media sunt ejusdem rationis.
 57 Genus simpliciter dictum de infima specie praedicatur.
 58 Hujus est actus, cujus est potentia.
 59 Honor est in honorante.
 60 Hoc est mendacium in verbo, quod simulatio in facto.
 61 Impossibile non appetitur.
 62 Impossibilium nulla est obligatio, seu ad impossibile nemo tenetur.
 63 Idem non potest esse in actu simul et potentia. 8. Phys. c. 4.
 64 Infinito repugnat aequale.
 65 Infinitum est impertransibile. Arist. 33. Phys. text. 41.
 66 Infimum in superiori, supremum in inferiori.
 67 Intellectus est universalium, sensus singularium.
 68 In scientia multiplicitas, in intelligentia unitas.
 69 In jus naturale et divinum non cadit dispensatio.
 70 Inter ens et nihil non est medium.
 71 Inter ens et nihil infinita est distantia.
 72 In toto tempore unicum est NUNC.
 73 Impossibile est idem esse simul et non esse. S. Thom.
 74 In aeternis idem est esse et posse. Arist. 4 Phys. text. 41.
 75 Locus continet locatum, nec est aliquid ejus.
 76 Majus et minus non variant speciem. S. August. in Enchir.

- 77 Motio moventis prior est motu mobilis, ratione et casualitate.
 78 Modus cognoscendi sequitur modum essendi.
 79 Malum esse non potest nisi in bono. S. Aug. in Enchir.
 80 Materia est mere potentia. Arist. 7. Metaph. text. 49.
 81 Multiplicatio numerica ex materia oritur. Arist. ex 12. Metaph. 49. et S. Thom. multis locis.
 82 Mensura ejusdem generis est cum mensurato et notior. Arist. 10. Metaph. text. 4.
 83 Merito merces proporcionatur.
 84 Motus est actus entis in potentia quatenus in potentia. 3. Phys. c. 2.
 85 Neminem laedendum honeste vivendum.
 86 Non sunt facienda mala ut eveniat bona. Apostolus.
 87 Nihil nullae sunt proprietates.
 88 Nullum ens potest esse sui ipsius causa.
 89 Non sunt multiplicanda entia sine ratione; seu quod idem est, frustra fit per plura quod potest fieri per pauciora.
 90 Nihil est in intellectu quod prius non fuerit in sensu, interno vel externo.
 91 Nemo dat quod non habet.
 92 Nemo potest agere ubi non est.
 93 Nihil volitum quin praecognitum.


- 94 Nulla scientia probat sua principia. S. Th. 1. q. 1. 8. c.
 95 Non datur scientia de ente per accidens. S. Thom. 1. q. 84. 1. c. et q. 86. 3. 0.
 96 Nullum respectivum potest esse de essentia entis absoluti.
 97 Non datur actio sine termino.
 98 Non datur progressus in infinitum. Arist. 5. Phys. c. 2.
 99 Natura procedit ab imperfecto ad perfectum. Arist. 1. de part. c. 2.
 100 Natura semper meliora molitur. Arist. 1.
 101 Natura determinata est ad unum. Arist. 9. Metaph. text. 3.
 102 Nihil violentum subsistit. Arist. ex 1. de Coelo.
 103 Negatio est malignantis naturae.
 104 Omnia a suis formalibus objectis specificantur.
 105 Opposita juxta se posita magis eluceccunt.
 106 Opposita sunt unius ejusdemque generis.
 107 Obtento fine cesat motus. Arist. 1. de Gen. et S. Thom. 4. sent. d. 48.
 108 Omnia quaecumque vultis ut faciant vobis homines et vos facite illis. Math. c. 7. v. 12.
 109 Omnis scientifica cognitio ex praexistente cognitione fit.
 110 Operari sequitur ad esse [1. de Coelo.] Arist.

- 111 Parvus error in principio magnus erit in fine.
 112 Prius est esse quam taliter esse.
 113 Propositio particularis ejusdem est certitudinis gradus ac universalis ubi est contenta. Hen.
 114 Principium meriti non cadit sub merito.
 115 Pars magis est totius quam sui ipsius.
 116 Perfectum est cui nihil deest. Arist. 5. de Metaph. text. 21.
 117 Perfectiora paucioribus egent. Arist. 1. de Coelo.
 118 Possibili posito in actu nihil sequitur absurdi. Arist. 8. de Phys. tex. 36.
 119 Potentia et actus in omnibus categoriis sunt, et rerum omnium principia. Arist. Metaph. text. 15.
 120 Potentia ferri non potest extra objectum suum adaequatum.
 121 Pluribus intentus minor est ad singula sensus.
 122 Per quod unumquodque tale, et illud magis.
 123 Quod praesumitur existere, moraliter existit. Bill.
 124 Quod cadit sub formali objecto, a potentia naturaliter cognosci potest.
 125 Qui potest magis, potest et minus.
 126 Qui prior est tempore, potior est jure.
 127 Qualia magis et minus suscipiunt. Arist. de Qual.

- 128 Quantitas non suscipit magis et minus.
 129 Quantitate res dicuntur æquales vel inæquales. Arist. de Quant.
 130 Quod mutatur non est simplex.
 131 Quidquid potest virtus inferior, potest superior.
 132 Qualitas sequitur formam, quantitas materiam.
 133 Quod primum in intentione, ultimum in executione.
 134 Qui vult finem, vult media ad finem.
 135 Qui dat esse, dat consequentia ad esse.
 136 Quae eandem materiam habent, ad invicem sunt transmutabilia Arist. 1. de Ortu. c. 7.
 137 Quodlibet est vel non est. S. Thom.
 138 Quae disperguntur in inferioribus, coadunantur in superiori.
 139 Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur.
 140 Quidquid dicitur de praedicato dicitur de subjecto. Arist.
 141 Quidquid movetur, ab alio movetur. S. Thom. et Arist. 7. Phys. c. 1.
 142 Relatis inest oppositio.
 143 Relationes sunt simul natura. Arist. de Relat.
 144 Relatio non facit compositionem.
 145 Scienti et volenti nulla fit injuria.
 146 Sicut se habent principia in speculativis, ita fines in practicis. Arist.

- 147 Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis.
 148 Similes actus similes habitus generant.
 149 Semper prius includitur in posteriori.
 150 Scientia est verorum. Arist. 6. Eth. c. 3
 151 Sensus circa sensibile proprium semper est verus.
 152 Similium par est ratio et iudicium.
 153 Species rerum a Deo procedunt, ut numeri ab unitate. Sanct. Dion. c. 5. de Div. nom.
 154 Substantia non suscipit magis et minus. Arist. de subs.
 155 Scientia est assimilatio intellectus ad rem scitam. Sanct. Thom. 1. q. 14. 2. 2.
 156 Talis est conclusio quales sunt praemissae.
 157 Terminus positus in subjecto materialiter tenetur pro supposito; in praedicato formaliter pro natura. S. Thom. 1. q. 13. 11. c.
 158 Tot sunt species motus quot entis. Arist. 3. Phys. text. 5.
 159 Totum majus est sua parte.
 160 Unitatis ratio mensurae maxime convenit.
 161 Unum idemque corpus pluribus in locis simul esse non potest. Arist. 4. Phys.
 162 Ultima perfectio rei est, ut suo jungatur principio; seu ad locum unde ex-

- eunt flumina revertantur. Eccle. c.
1. v. 7.
- 163 Uno relatorum cognito cognoscitur
et alterum.
- 164 Unusquisque in sua arte credendus.
- 165 Unicuique tribuendum quod suum est.
- 166 Sic studendum, quasi semper viven-
dum: Sic vivendum, quasi hodie mo-
riendum.



INDEX.

Prologus Annotatoris.	3
PROLEGOMENA. 1° De nomine philoso- phiae; 2° de sapientia, seu scientia; 3° de differentia philosophiam inter et theologiam; 4° de definitione philoso- phiae; 5° de ejus partibus; 6° de ordi- ne secundum quem distribuuntur; 7° de modis sciendi.....	5
§ 1. De methodo.....	14
§ 2. De definitione.....	19
§ 3. De divisione.....	21
§ 4. De syllogismo.....	23
PRIMA PARS PHILOSOPHIÆ.	
LOGICA. 1° Nomen; 2° objectum; 3° defi- nitio; 4° divisio.....	30
PRIMA PARS LOGICÆ. De terminis.....	36
SECTIO PRIMA. De terminis in se consi- deratis, et eorum proprietatibus.....	41
§ 1. De terminis in se consideratis...	41
§ 2. De proprietatibus terminorum.	39
SECTIO SECUNDA. De terminis secundæ intentionis seu de prædicabilibus.....	41
§ 1. De universalibus in communi...	43
§ 2. De universalibus in particulari.	44
§ 3. De respectu secundum quem u- numquodque prædicabile con- stituitur in ratione universalis..	50
§ 4. De proprietatibus universalium	53
SECTIO TERTIA. De prædicamentis.....	56

§ 1. De antepredicamentis	57
§ 2. De substantia et aliis predica- mentis	61
§ 3. De postpredicamentis.....	90
SECUNDA PARS LOGICAE. De propositione.	96
§ 1. Quid sit propositio.....	98
§ 2. Quotuplex sit propositio.....	98
§ 3. De proprietatibus propositionis	103
TERTIA PARS LOGICAE. De argumentatione	115
De syllogismo in genere.....	116
§ 1. De syllogismo perfecto.....	118
§ 2. De syllogismo imperfecto....	122
§ 3. De regulis syllogismi.....	125
§ 4. De figuris syllogismi.....	128
§ 5. De modis syllogismi	134
§ 6. De syllogismo demonstrativo...	141
§ 7. De syllogismo topico seu proba- bili.....	146
§ 8. De syllogismo sophistico.....	148
§ 9. De inventione medii.....	152
MODI SYLLOGISMI.....	157
DE PRAECIPUIS PHILOSOPHORUM EFFATIS.....	167



APPENDIX

AD FORMAM SYLLOGISTICAM.

PRAESTANTIAE PRIMAE FIGURAE.

Hae sunt quatuor: prima est, ut in hac figura extremum quod est subjectum in praemissis descendat, ut subjectum, ad conclusionem et quod est praedicatum in praemissis descendat, ut praedicatum, ad conclusionem; secunda, quod in ea syllogizentur omnes propositiones, scilicet universales, et particulares, tam affirmativae, quam negativae; tertia, quod in ea unaquaeque propositio habeat suum modum proprium, et syllogizari non possit in alio modo ejusdem; quarta, quod ad modos hujus figurae

reducantur omnes modi imperfecti aliarum figurarum.

REGULAE AD SYLOGIZANDAS PRO-
POSITIONES UNIVERSALES, ET PARTICULARES
TAM AFFIRMATIVAS
QUAM NEGATIVAS IN PRIMA FIGURA.

Ad syllogizandam universalem affirmativam, ambae praemissae debent esse universales, et affirmativae. Probatur quoad primam partem, id est, ambas debere esse universales: in primis quia si major esset particularis, syllogismus peccaret contra regulam peculiarem hujus figurae, quae est: "Sit minor affirmans, major vero generalis," atque etiam contra tertiam Aristotelis "Aut semel, aut iterum medius generaliter esto," ex eo quod cum major esset particularis, ejus subjectum a fortiori esset particulare; sed cum subjectum majoris sit praedicatum minoris ex regula "Sub. prae. prima" et minor sit affirmativa, ex regula "Sit minor affirmans etc.," ejus praedicatum rigore logico, vi affirmationis est particulare, et propter hoc quod est bis particulare, peccat contra regulam jam citatam "Aut semel, aut etc." Demum si minor esset particularis, tunc conclusio etiam es-

set particularis, quia subjectum minoris est subjectum conclusionis ex praestantia prima hujus figurae. Ergo ad syllogizandam universalem affirmativam, ambae praemissae debent esse universales. Probatur quoad secundam partem, id est, ambas debere esse affirmativas. Nam si una propositionum esset negativa tunc conclusio etiam esset negativa ex regula octava Aristotelis "Pejorem sequitur etc." quod est contra suppositum: Ergo ad syllogizandam in prima figura universalem affirmativam, ambae praemissae debent esse universales, atque affirmativae, quoad modum *Barbara*. Quoad secundum modum *Celarent*, in hoc modo tantum syllogizatur universalis negativa, quae etiam syllogizari potest in alia figura; sed ad eam syllogizandam in prima figura, requiruntur duae propositiones universales, una negativa, et altera affirmativa: nam si major esset particularis peccaret contra regulam specialem hujus figurae, "Sit minor affirmans, major vero generalis" atque etiam contra tertiam Aristotelis "Aut semel, aut iterum etc.": quia si major esset particularis, ejus subjectum, quod est medius terminus, esset particulare, et cum hic sit praedicatum minoris et vi affirmationis bis particularis, peccaret contra regulam antea citatam "Aut semel, aut etc." Praeterea requiruntur una nega-

tiva, et altera affirmativa, ex eo quod, si duae assent negativae, syllogismus peccaret contra regulam quintam Aristotelis "Utraque si praemissa neget etc." et si duae essent affirmativae, conclusio etiam esset affirmativa, et non negativa prout requiritur. Ergo ad syllogizandam universalem negativam in modo *Celarent* primae figurae, duae propositiones debent esse universales, una negativa, et altera affirmativa. Sed ut cognoscatur, quae ex duabus propositionibus debeat esse affirmativa et quae negativae, attendendum est ad regulam specialum hujus figurae "Sit minor affirmans, etc.", et ex ea certissime videbitur minorem esse affirmativam et majorem negativam. Ergo at syllogizandam propositionem universalem negativam, duae propositiones debent esse universales, major negativa, et minor affirmativa. Quoad modum *Darii* in hoc modo tantum syllogizatur particularis affirmativa, quae tamen syllogizari potest in alia figura.

Sed ad eam syllogizandam in prima figura, requiritur unam propositionem esse universalem et alteram particularem, ambas affirmativas, ex eo quod, si aliqua esset negativa, conclusio etiam esset negativa, ex regula octava Aristotelis "Pejorem sequitur etc." Una debet esse universalis et altera particularis quoniam si ambae es-

sent particulares, subjectum majoris quod est medius terminus esset particulare, et cum hic esset praedicatum minoris quae est affirmativa, ex regula peculiari hujus figurae "Sit minor affirmans etc." vi affirmationis esset particulare, et tunc bis particulare, quod est contra tertiam regulam Aristotelis "Aut semel. aut iterum etc." Et si duae essent universales, tunc conclusio etiam esset universalis, et non particularis, ut requiritur, nam subjectum minoris est etiam subjectum conclusis. Praeterea, haec est prima praestantia hujus figurae, ut quod est subjectum in minori sit etiam subjectum in conclusione et quod est praedicatum in majore sit praedicatum in conclusione; aut brevius, positiones quas termini extremi occupant in praemissis easdem occupant in conclusione primae figurae. Denique ut cognoscatur quae propositio debeat esse universalis, et quae particularis attendatur ad regulam peculiarem hujus figurae "Sit minor affirmans etc.", et inveniendū minorem debere esse particularem affirmativam, in ea ponatur particularitas, et majorem universalem affirmativam, in ea ponatur universalitas. Ergo ad syllogizandam particularem affirmativam in modo *Darii* primae figurae, major debet esse universalis affirmativa, et minor particularis affirmativa.

Quoad modum *Ferio* in hoc tantum syllogizatur particularis negativa, quae etiam syllogizari potest in alia figura. Ad eam syllogizandam in prima figura, requiruntur una propositio universalis, et altera particularis, una negativa et altera affirmativa, nam si duae propositionis essent negativae, syllogismus peccaret contra regulam quintam Aristotelis "Utraque si praemissa neget etc."; et si ambae essent affirmativae, conclusio etiam esset affirmativa, et non negativa, quod est contra suppositum. Requiritur una universalis, et alia particularis, quoniam si duae essent particulares syllogismus peccaret contra hasce regulas Aristotelis "Nihil sequitur geminis etc." et "Autem semel aut iterum etc.", ex eo quod in hoc modo subjectum majoris, quod est medius terminus cum illa esset particularis, etiam esset particulare, et cum hoc sit praedicatum minoris et haec sit affirmativa, et praedicatum, vi affirmationis sit particulare; si non esset minor affirmativa peccaret contra regulam peculiarem primae figurae "Sit minor affirmans etc." Ergo una debet esse universalis, et altera particularis.

SECUNDA FIGURA.

In hac figura syllogizari non possunt propositiones affirmativae, sed bene nega-

tivae, sive universales, sive particulares. Sed ad syllogizandam universalem negativam, praemissae debent esse universales, una affirmativa. et altera negativa; nam si major esset particularis peccaret contra regulam peculiarem hujus figurae «Una negans esto, etc.» et si minor esset particularis, conclusio etiam esset particularis, et non universalis, ut requiritur. Conclusio esset particularis, quoniam in hac figura subjectum minoris etiam est subjectum conclusionis, et ex regula secunda Aristotelis «Latius hunc etc.» nullus terminus potest esse extensior in conclusione quam in praemissis. Ergo ad syllogizandam universalem negativam, praemissae debent esse universales. Praeterea requiritur una affirmativa, et altera negativa, nam si ambae essent affirmativae, conclusio etiam esset affirmativa ex regula sexta Aristotelis «Ambae affirmantes etc.», et si duae essent negativae, syllogismus peccaret contra regulam quintam Aristotelis "Utraque si praemissa neget etc." Ergo una praemissa debet esse affirmativa, et altera negativa. Sed ut cognoscatur in qua ponitur negatio, attendatur ad regulam peculiarem hujus figurae «Una negans esto, etc.» et quia non invenitur determinate quae sit affirmativa, et quae negativa, videatur quot modis in hac figura syllogiza-

ri potest universalis negativa, et invenietur duobus modis, vel ponendo negationem in majori, vel in minori, si primum resultat modus *Cesare*; si secundum. *Camestres*. Ergo ad syllogizandam in secunda figura universalem negativam. praemissae debent esse universales, una affirmativa et altera negativa, resultando primo modo, si negatio ponitur in majori, et secundo si ponitur in minori.

Ad syllogizandam particularem negativam, requiruntur una universalis, et altera particularis, una affirmativa, et altera negativa: requiruntur una universalis, et altera particularis, ex eo quod si duae essent universales, conclusio etiam esset universalis, quod est contra suppositum, si duae essent particulares, syllogismus peccaret contra regulam septimam Aristotelis «Nihil sequitur geminis etc.» et contra regulam peculiarem hujus figurae «Una negans esto etc.» Ergo una debet esse universalis, et altera particularis.

Unam debere esse affirmativam et alteram negativam ostenditur, quia si duae essent affirmativae, conclusio etiam esset affirmativa, quod est contra regulam peculiarem hujus figurae «Una negans esto etc.»; si duae essent negativae, syllogismus peccaret contra regulam quintam

Aristotelis «Utraque si praemissa neget etc.» Ergo una debet esse affirmativa, et altera negativa. Sed ut cognoscatur quae sit universalis, et quae particularis, quae affirmativa, et quae negativa occurratur ad regulam peculiarem hujus figurae «Una negans esto, nec major sit specialis», et videbitur majorem debere esse universalem: ergo in eadem ponatur universalitas, et in minori particularitas. Sed quia non dicitur determinate quae esse debeat negativa, videatur quot modis syllogizari potest particularis negativa in hac figura, et invenietur duobus modis, scilicet, vel ponendo negationem in majori, et affirmationem in minori, vel affirmationem in majori, et negationem in minori: si in primo modo habetur *Festino*, si in secundo habetur *Baroco*. Ergo ad syllogizandam particularem negativam, major debet esse universalis, et minor particularis: et si negatio ponitur in majori, et affirmatio in minori, resultat modus tertius hujus figurae; et si negatio ponitur in minori, et affirmatio in majori, tunc resultat quartus modus ejusdem.

TERTIA FIGURA.

In hac figura tantum syllogizari possunt propositiones particulares, vel affirmativae, vel negativae. Ad syllogizandam particu-

larem affirmativam praemissae possunt esse vel duae universales vel una particularis, et altera universalis, ambae affirmativae; quia si una esset negativa, conclusio etiam esset negativa ex regula octava Aristotelis "Pejorem sequitur etc." quod est contra suppositum. Ergo duae debent esse affirmativae.

Posse esse ambas universales patet ex eo quod praedicatum propositionis affirmativae, vi affirmationis est particulare, et quia in tertia figura medius terminus est subjectum in utraque praemissa, et praedicatum minoris est subjectum in conclusione; et quia praedicatum minoris est vi affirmationis particulare, conclusio etiam est particularis ex regula secunda Aristotelis "Latius hunc etc." et ex peculiari hujus figurae "Sit minor affirmans etc." Ergo nihil interest quod duae praemissae sint universales. Eadem ratione possunt esse una universalis, et altera particularis; sed non ambae particulares, ex regulis Aristotelis "Aut semel, aut iterum etc." et Nihil sequitur geminis etc."

Restat scire quot modis in hac figura syllogizari potest particularis affirmativa; et ut jam visum est, quod nihil obstat ambas praemissas esse universales, resultat modus *Darapti*; sed si una est universalis, et altera particularis, ut probatum fuit,

tunc syllogizari potest duobus modis, vel ponendo universalitatem in majori et particularitatem in minori, et habetur modus *Datisi*; vel contra, id est, ponendo particularitatem in majori, et universalitatem in minori, et tunc habetur modus *Disamis*. Ergo ad syllogizandam particularem affirmativam, duae praemissae possunt esse, vel universales, vel una universalis, et altera particularis; si ambae sunt universales resultat modus primus tertiae figurae *Darapti*; si major est universalis, et minor particularis, resultat secundus modus ejusdem, *Datisi*; si denique major est particularis, et minor universalis resultat tertius modus *Disamis*, ut probatum fuit.

Sed ad syllogizandam in tertia figura particularem negativam, praemissae possunt esse ambae universales, vel una universalis et altera particularis, una affirmativa et altera negativa: possunt esse ambae universales ex eo quod in hac figura medius terminus sit subjectum in duabus praemissis, et quia praedicatum minoris vi affirmationis, est particulare "ex regula peculiari hujus figurae" Sit minor etc." et idem praedicatum minoris est subjectum in conclusione. Ergo conclusio est particularis, ex regula secunda Aristotelis "Latius hunc etc." Ergo non obstat quod ambae praemissae sint universales.

Possunt esse una universalis et altera particularis ex eadem regula; sed non duae particulares, ex eo quod tunc syllogismus peccaret contra duas regulas Aristotelis "Aut semel, aut iterum etc." et Nihil sequitur geminis etc." Ergo una debet esse universalis, et altera particularis, una affirmativa, et altera negativa, et non duae negativae ex regulae quinta Aristotelis "Utraque si praemissa neget etc.", neque ambae affirmativae, quia tunc conclusio etiam esset affirmativa ex regula "Ambae affirmantes nequeunt etc." et non negativa ut requiritur. Ergo una debet esse affirmativa, et altera negativa.

Restat cognoscere in qua ex praemissis ponenda sit negatio, et in qua affirmatio, in qua universalitas, et in qua particularitas: sed quia jam probatum fuit ambas praemissas esse posse universales, attendatur ad regulam peculiarem tertiae figurae "Sit minor affirmans etc.", et inveniendū minorem debere esse affirmativam, in ea securissime ponatur affirmatio et habebitur modus *Felapton* hujus figurae. Et ut jam etiam probatum fuit unam esse posse universalem, et alteram particularem, apparebunt modi in quibus syllogizari potest particularis negativa; et si sint ambae universales, resultat modus jam dictus *Fetapton*, vel si major sit universalis in eadem pona-

tur negatio, et minor particularis, in ea ponatur affirmatio et particularitas, et habebitur modus *Ferison*: vel ponendo particularitatem et negationem in majori, et universalitatem et affirmationem in minori, et tunc erit modus *Bocardo*. Ergo ad syllogizandam particularem negativam, duae praemissae possunt esse, vel universales, vel una universalis, et altera particularis, major negativa et minor affirmativa, seu vice-versa, minor universalis, et major particularis.

QUARTA FIGURA.

In hac figura syllogizantur propositiones universales negativae, particulares negativae, et particulares affirmativae. Ad syllogizandam universalem negativam, ambae praemissae debent esse universales, una affirmativa et altera negativa, duae debent esse universales et praecipue minor ex regula hujus figurae "Si major affirmans, minor debet esse universalis:" requiritur etiam major universalis ex eo quod si esset particularis, conclusio etiam esset particularis contra suppositum, et quia subjectum est praedicatum conclusionis, tunc syllogismus peccaret contra regulam secundam Aristotelis "Latius hunc etc." Contra hanc regulam peccaret, quia

cum esset minor negativa, conclusio etiam esset negativa, et ejus praedicatum sumeretur secundum totam suam extensionem, et in majori non sumebatur nisi secundum suam comprehensionem; una debet esse negativa, sed negatio non ponitur in majori ex regula "Si major affirmans etc.": ergo in minori, Requiritur una affirmativa, et altera negativa, quia si duae essent affirmativae, conclusio etiam esset affirmativa, et particularis, nam praedicatum minoris, vi affirmationis, est particulare, et hoc idem est subjectum conclusionis; non possunt ambae esse negativae, quia tunc syllogismus peccaret contra regulam quintam Aristotelis "Utraque si praemissa neget etc." Ergo ad syllogizandam universalem negativam praemissae debent esse universales; major affirmativa et minor negativa, et habetur secundus modus quartae figurae *Canentes*, in quo tantum syllogizari possunt universales negativae. — Particulares affirmativae in hac figura tantum duobus modis syllogizari possunt, vel ponendo ambas praemissas universales affirmativas et habetur modus *Baralipon*, vel ponendo majorem particularem affirmativam et minorem universalem affirmativam, et resultat modus *Dimatis*: ambae possunt esse universales affirmativae, quia praedicatum minoris, vi affirmationis est particu-

lare et idem est subjectum conclusionis, et si subjectum conclusionis est particulare, eadem erit particularis. Ergo non obstat ambas esse universales. Major debet esse particularis affirmativa, et minor universalis affirmativa ex eo quod si minor etiam esset particularis, syllogismus peccaret contra regulas septimam atque tertiam Aristotelis "Nihil sequitur geminis etc." et "Aut semel, aut iterum etc." Debent esse ambae affirmativae, nam si una esset negativa, conclusio ex regula octava Aristotelis "Pejorem sequitur etc." etiam esset negativa, et non affirmativa ut requiritur. In modo *Dimatis* major debet esse particularis, et minor universalis, ambae affirmativae, quoniam si universalitas esset in majori et particularitas in minori, syllogismus peccaret contra regulam peculiarem quartae figurae "Si major sit etc." Ergo ad syllogizandam particularem affirmativam, praemissae debent esse vel ambae universales affirmativae, et habetur modus *Baralipon*, vel major particularis affirmativa, et minor universalis affirmativa, et habetur modus *Dimatis*. Denique ad syllogizandam in quarta figura particularem negativam requiritur vel quod major sit universalis negativa et minor universalis affirmativa, et tunc est *Fepasmo*; vel quod major sit universalis negativa et minor particu-

ris affirmativa, et tunc est *Fresisomorum*; quod sic probatur. In quarta figura, ut dictum est, medius est praedicatum majoris et subjectum minoris; si ergo syllogizanda sit particularis negans, una debet esse negativa et haec major quia ex regula peculiari hujus figurae «Si conclusio negans, major debent esse universalis;» et praeterea ex altera regula etiam peculiari hujus figurae "Si major universalis, minor debet esse affirmans": ergo negatio non potest poni in minori: ergo in majori, et haec universalis. Restat ergo quod vel minor sit universalis affirmativa, et tunc erit *Fepasmo*, vel particularis affirmativa et tunc erit *Fresisomorum*: in quo nullum est inconveniens, ut patet ex terminorum dispositione. Quod erat demonstrandum.

REGULAE AD CONVERTENDOS SYLLOGISMOS

E MODO IMPERFECTO AD PERFECTUM.

1.^a Attendatur ad conclusionem, si haec est universalis negativa, syllogismus reducetur ad modum primae figurae qui habeat conclusionem negativam. Si conclusio est particularis affirmativa, ad modum qui habeat conclusionem particularem affirmativam; si vero est particularis nega-

tiva, ad modum qui eandem habeat particularem negativam.

2.^a Attendatur ad differentiam figurae in qua est syllogismus convertendus cum prima figura, et videbitur in syllogismis secundae figurae differentiam esse in majori, quia medius terminus in hac figura est praedicatum utriusque praemissae, et in prima figura est subjectum majoris et praedicatum minoris. Ergo differentia in secunda figura est in majori; sed in syllogismis tertiae figurae videbitur differentiam esse in minori, quoniam medius terminus bis subicitur in ea, et in prima figura est subjectum majoris, et praedicatum minoris. Ergo in tertia figura differentia est in minori. Tandem in syllogismis quatae figurae videbitur differentiam esse in utraque praemissa, quia medius terminus in ea est praedicatum majoris et subjectum minoris, dum in prima figura est subjectum majoris et praedicatum minoris. Ergo in quarta figura differentia est in ambabus praemissis. ®

3.^a Attendatur si praemissa in qua est differentia, conversa simpliciter vel per accidens, dat modum in quo est prima figura, facta conversione; si hoc non potest fieri, convertatur conclusio, invertantur

praemissae, et agatur conversio necessaria ut relinquatur in modo primae figurae.

4^a. Si neque hoc fieri potest, omittatur conversio, ex eo quod sit magis onerosa quam utilis.

EXEMPLA PRACTICA.

Ad reducendum *Cesare* attendam, ex regula prima, ad conclusionem, video esse universalem negativam, et quaero in prima figura modum qui habeat conclusionem negativam, qui est *Celarent*. Deinde attendo ad differentiam ex regula secunda, et video hanc esse in majori, quia *Cesare* est secundae figurae. Tandem, ex regula tertia video si praemissa in qua est differentia, conversa simpliciter vel per accidens, dat modum primae figurae et invenio eum dari simpliciter convertendo: v. g.

Nullus homo est arbor;	Ce-
Sed omne insensibile est arbor,	sa-
Ergo nullum insensibile est homo.	re.

Ex modo dicto convertitur ad

Nulla arbor est homo;	Ce-
Sed omne insensibile est arbor;	la-
Ergo nullum insensibile est homo.	rent.

Ad servandam regulam quartam, syllogizabo modum *Camestres*, observando regulas anteriores; sed ex regula quarta converti debet conclusio, inverti praemissae, et fieri conversio necessaria, v. g. omnis homo est animal; sed nullus lapis est animal: Ergo nullus lapis est homo. Convertito conclusionem simpliciter, et resultat: Nullus homo est lapis; invertito praemissas et habeo: Nullus lapis est animal; Sed omnis homo est animal. Convertito simpliciter majorem et habeo: Nullum animal est lapis. Quod sic videtur clarius.

Omnis homo est animal;	Ca-
Sed nullus lapis est animal;	mes-
Ergo nullus lapis est homo.	tres.
	ad
Nullum animal est lapis;	Ce-
Sed omnis homo est animal;	la-
Ergo nullus homo est lapis.	rent.

Tandem modi qui e secunda figura ad primam reducuntur, ex tribus primis regulis, sunt *Cesare* ac *Festino*; e tertia figura ad primam, exiisdem regulis, sunt *Darapti*, *Felapton*, *Datisi*, *Ferison*. Sed qui reducuntur ex regula quarta sunt. e secunda figura *Camestres*, e tertia *Disa-*

mis. e quarta *Baralipton*, *Canentes*, *Dimatis*, *Fepasmo*, *Fresismorum*, excepto quod in *Baralipton*, propositio quae minor facta est in prima figura fit particularis, et in *Fepasmo* non invertantur praemissae, sed major convertatur simpliciter, et minor per accidens; et in *Fresismorum* utraque praemissa convertatur simpliciter, relicta ut antea conclusione.

PROBANTUR REGULAE

SPECIALES FIGURARUM SYLLOGISMI.

GISMI.

Regula primae figurae, "Sit minor affirmans, major vero generalis." Probatur quoad primam partem, scilicet, sit minor affirmans. Si minor non est affirmativa est negativa, si minor est negativa conclusio etiam est negativa, ex regula octava Aristotelis, «Pejorem sequitur etc.», si conclusio est negativa ejus praedicatum est universale, quia praedicatum propositionis negativae, vi negationis est universale; si praedicatum conclusionis est universale, praedicatum majoris debet esse universale, quoniam praedicatum conclusionis in prima figura etiam est praedicatum majoris,

posito quod una e praestantiis hujus figurae est quod termini descendant identici ad conclusionem; si praedicatum majoris est universale eadem est negativa, quia praedicatum universale est propositionis negativae; si major est negativa, tunc ex supposito ambae praemissae sunt negativae; si ambae sunt negativae, nihil sequeretur ex regula Aristotelis «Utraque si praemissa neget etc.» Ergo sit minor affirmans. Probatur quoad secundam partem, id est, major vero generalis. Si minor est affirmativa, ejus praedicatum est particulare, quia praedicatum propositionis affirmativae, vi affirmationis est particulare, si praedicatum minoris est particulare; subjectum majoris debet esse universale ex regula Aristotelis, «Aut semel, aut iterum etc.»; si subjectum majoris est universale, etiam illa est universalis, quia propositio cujus subjectum est universale etiam illa est universalis. Ergo major vero generalis; aliunde, sit minor etc. Ergo etc.

REGULA SECUNDAE FIGURAE. "UNA NEGANS

ESTO NEC MAJOR SIT SPECIALIS."

Probatur quoad primam partem, scilicet, una negans esto. Si medius terminus

est praedicatum utriusque praemissae, saltem debet esse semel universalis, ex regula tertia Aristotelis "Aut semel, aut iterum etc." Si semel universalis, propositio de qua praedicatur est negativa, quia praedicatum universale est propositionis negativae. Ergo una negans esto.

Probatur quoad secundam partem, scilicet, nec major sit specialis. Si una praemissarum est negativa, conclusio etiam est negativa, ex regula octava Aristotelis, "Pejorem sequitur etc." Si conclusio est negativa, ejus praedicatum est universale; quia praedicatum propositionis negativae, vi negationis, est universale; si praedicatum conclusionis est universale, subjectum majoris debet esse universale, quoniam in hac figura majus extremum est subjectum majoris, ac etiam per regulam secundam Aristotelis "Latius hunc etc."; si subjectum majoris est universale illa etiam est universalis, quia propositio cujus subjectum est universale etiam illa est universalis. Ergo nec major sit specialis: aliunde una negans esto. Ergo.

REGULA TERTIAE FIGURAE, "SIT MINOR AFFIRMANS, CONCLUSIO PARTICULARIS."

Prima pars scilicet, sit minor affirmans,

probatur, sicuti probata fuit prima pars regulae primae figurae. Probatur quoad secundam partem, id est, conclusio particularis. Si minor est affirmativa, ejus praedicatum est particulare, quia praedicatum propositionis affirmativae, vi affirmationis est particulare. Si praedicatum minoris est particulare, subjectum conclusionis etiam est particulare, ex eo quod in hac figura minus extremum est praedicatum minoris et subjectum conclusionis, atque etiam per regulam secundam Aristotelis "Latius hunc etc."; si subjectum conclusionis est particulare illa etiam est particularis, quoniam propositio cujus subjectum est particulare eadem est particularis. Ergo conclusio particularis: aliunde sit minor affirmans. Ergo.

REGULAE QUARTAE

FIGURAE, "SI MAJOR SIT AFFIRMANS, MINOR EST UNIVERSALIS; SI MINOR SIT AFFIRMANS, CONCLUSIO EST PARTICULARIS; DENIQUE SI CONCLUSIO NEGANS, MAJOR DEBET ESSE UNIVERSALIS."

Probatur quoad primam partem, scilicet, si major sit affirmans, minor est universalis. Si major est affirmativa, ejus praedicatum est particulare; quoniam praedicatum

propositionis affirmativae, vi affirmationis est particulare; si praedicatum majoris est particulare, medius terminus est particularis, ex eo quod in hac figura medius terminus est subjectum minoris, et praedicatum majoris; si medius terminus in majori est particularis, in minori debet esse universalis ex regula tertia Aristotelis "Aut semel, aut iterum etc.;" si medius terminus in minori est universalis, etiam illa est universalis, quia propositio cujus subjectum est universale, eadem est universalis. Ergo si major sit affirmans, minor est universalis. Probatur quoad secundam partem, scilicet, si minor sit affirmans, conclusio particularis. Si minor est affirmativa ejus praedicatum est particulare, quia praedicatum propositionis affirmativae, vi affirmationis, est particulare, si praedicatum minoris est particulare, subjectum conclusionis etiam est particulare, quoniam in hac figura minus extremum est praedicatum minoris, et subjectum conclusionis; si subjectum conclusionis est particulare etiam illa est particularis, quia propositio cujus subjectum est particulare, eadem est particularis. Ergo si minor sit affirmans, conclusio particularis. Probatur quoad tertiam partem, id est, si conclusio negans, major debet esse universalis. Si conclusio est negativa, ejus praedicatum est universale, quia praedicatum propositionis negativae, vi negationis, est universale; si praedicatum conclusionis est universale,

subjectum majoris est universale, quoniam in hac figura majus extremum est praedicatum conclusionis, et subjectum majoris; si subjectum majoris est universale etiam illa est universalis, ex eo quod propositio, cujus subjectum est universale illa sit universalis. Ergo si conclusio negans, major debet esse universalis: aliunde etc. etc. Ergo.

REGULAE AD MEDIUM SYLLOGIZANDI IN

VENIENDUM.

1^a. Universalis affirmativa non syllogizatur nisi in primo modo primae figurae *Barbara*.

Ergo ad eam syllogizandam sumatur quod sequitur subjectum, et antecedit praedicatum.

2^a. Universalis negativa syllogizatur in quattuor modis, scilicet in *Celarent* primae figurae, in *Cesare* et *Camestres* secundae, et in *Canentes* quartae. Ergo ad syllogizandam eam in *Celarent* primae figurae et *Cesare* secundae, sumatur quod sequitur subjectum et repugnat praedicato. Sed ad eam syllogizandam in *Camestres* secundae, et *Canentes* quartae, sumatur quod repugnat subjecto et sequitur praedicatum.

3^a. Particularis affirmativa non syllogizatur nisi in tribus figuris, et sex modis, id est in *Darii* primae figurae, in *Darapti*, *Di-*

amis et *Datisi* tertiae, atque in *Baralipton* et *Dimatis* quartae. Ergo ad eam syllogizandam in *Darii* primae figurae, sumatur quod sequitur subjectum et antecedit praedicatum. Sed ad eam syllogizandam, in modis *Darapti*, *Disamis* et *Datisi* tertiae figurae, sumatur quod antecedit subjectum, et antecedit praedicatum. Tandem ad eam syllogizandam in *Baralipton*, et *Dimatis* quartae, sumatur quod sequitur praedicatum, et antecedit subjectum.


4^{ta} Particularis negativa syllogizatur in omnibus figuris, in *Ferio* primae, in *Festino* et *Baroco* secundae, in *Felapton*, *Bocardo* et *Ferison* tertiae, et in *Fepasmo* et *Fresisomorum* quartae. Ergo ad eam syllogizandam in *Ferio*, *Festino*, *Felapton*, *Ferison*, *Fepasmo*, et *Fresisomorum* sumatur quod sequitur subjectum et repugnat praedicato. Sed ad eam syllogizandam in *Baroco* et *Bocardo* sumatur quod sequitur praedicatum, et repugnat subjecto.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
LAUS DEO.
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

U. A. N. L.

Esta publicación deberá ser devuelta antes de la última fecha abajo indicada.


IFCC 636



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

®





UNIVERSIDAD NACIONAL DE EDUCACIÓN A DISTANCIA

INSTITUTO DE INVESTIGACIONES Y ENSEÑANZA DE LA LINGÜÍSTICA Y DE LA LINGÜÍSTICA APLICADA



EX-100
TE
00